# ARNOBIANA

SCRIPSIT

C. BRAKMAN J.F.



LUGDUNI-BATAVORUM,
APUD E. J. BRILL.
MCMXVII.

# ARNOBIANA.

# ARNOBIANA

SCRIPSIT

C. BRAKMAN J.F.

LUGDUNI-BATAVORUM,
APUD E. J. BRILL.
MCMXVII.

EX OFFICINA ET TYPOGRAPHICA ET BIBLIOPOLIO QUAE ANTEHAC E. J. BRILLII FUERUNT.

# PRAEFATIO.

Arnobiana cum iustum efficerent opusculum aliaque quae quidem nova mihi viderer invenisse pertinentia ad Celsum Senecam cet. magis idonea essent quae una in lucem emitterentur, separatim publici iuris facere decrevi. Itaque spero fore ut Arnobiana [1]) mox Miscellis tertiis excipiantur. Hic autem liber interea continet non paucas coniecturas meas, sed multo plures vindicias, quas imprimis caput tertium fert. Namque peculiaris Arnobiani generis dicendi atque proprietatis totius posterioris Latinitatis ratione habita multis locis verba tradita ratione et via contra Reifferscheidii aliorumque suspiciones defendi. Eiusmodi commentatione, in qua quodammodo novus textus niti potest, nobis opus est. Facile vero intellegitur multa in disputatiunculis et commentariis iam observata me aut praeterisse aut obiter tantum tetigisse. Nonnulla tamen quae desiderantur in Indice confecto a Reifferscheidio neque ab aliis quod sciam allata sunt, commemoravi, ceterum semper memor fui Vergiliani dicti illius: summa sequar fastigia rerum.

Fortasse tandem licet expectare ut brevi nova editio curetur, dummodo fieri possit ut hic illic codex Parisinus inspiciatur. Quantopere desideretur Reifferscheidiana recensio emendatior nunquam manifestius apparuit hoc decennio, quo tempore studia Arnobiana maxime viguerunt. Theologi historici philologi grammatici nunc demum agnoverunt quanti sit momenti opus illud, cui titulus est Adversus Nationes. Quodsi mox altera editio prodibit, verisimile est septem libros Arnobianos omnes aut certe primum et secundum i. e. apologiam propriam belgice versum iri.

C. Brakman J.f.

Dabam Hagae Comitis m. Maio 1917.

---

1) Vide Miscell. (1912) pag. 1—15; Miscell. alt. (1913) pag. 23—35.

# CAPUT I.

I 8 (pag. 9, 16) Plato ille sublimis apex philosophorum et columen saeva illa diluvia et conflagrationes mundi purgationem terrarum suis esse in commentariis prodidit nec vir prudens extimuit humani generis subversionem cladem ruinas interitus funera rerum innovationem vocare, *etenim* iuventutem his quandam redintegratis viribus comparari.

Reifferscheid pro codicls Parisini scriptura *et in* Ursino praeeunte edidit *etenim*. Cum autem constet sescenties librarium verba omisisse, equidem orationis corruptae antiquam hanc fuisse formam suspicor: et *in⟨sinuare⟩* iuventutem his quandam redintegratis viribus comparari.

Hic enim Arnobius provocans ad Platonem mundi renovationem docentem praesertim respicit Tim. 22 D ὅταν δ' αὖ οἱ θεοὶ τὴν γῆν ὕδασι καθαίροντες κατακλύζωσιν e. q. s. *Insinuandi* autem verbum saepius in libro, qui inscribitur Adversus Nationes, ponitur pro *tradere* [1]) vel *docere*, sicut IV 21 (158, 11) o deorum adsertio religiosa, o amplitudinis metuendae venerabilem monstrans atque *insinuans* dignitatem et V 2 (174, 21) ita enim sunt omnia et excogitata et comparata derisui, ut sit vobis conitendum, falsa ut credantur haec esse, etiam si sint vera, quam optinere velle pro veris et velut quiddam mirabile non sine ipsius numinis *insinuare* contemptu. Haec duo exempla attuli, quia desiderantur in Reifferscheidii Indice, ubi quinque loci enumerantur. Praeterea non possum non exscribere Cyprian.

1) Cf. Rönsch It. u. Vulg. pag. 387 *insinuare* = mittheilen kundthun, verkündigen.

ad Fortunat. praef. 4 (Hart. I pag. 319) nos tantum qui Domino permittente primum baptisma credentibus dedimus ad aliud quoque singulos praeparemus *insinuantes* et docentes hoc esse baptisma in gratia maius, in potestate sublimius e. q. s. et Augustin. de civit. dei II 28 Nihil enim eis turpe ac flagitiosum spectandum imitandumque proponitur, ubi Dei veri aut praecepta *insinuantur* aut miracula narrantur, aut dona laudantur aut beneficia postulantur.

I 16 (pag. 12, 17) si in Asia, Syria idcirco mures et locustas effervescere prodigialiter voluerunt (sc. dei), quod ratione consimili habitarent in eorum gentibus Christiani: in Hispania, Gallia cur eodem tempore horum nihil natum est, cum innumeri viverent in his quoque Christiani? si apud Gaetulos *cum aquitanos* huius rei causa siccitatem satis ariditatemque miserunt, eo anno cur messes amplissimas Mauris Nomadibusque tribuerunt, cum religio similis his quoque in regionibus verteretur?

*Aquitanos* corruptum esse vel ex eo intellegitur, quod in priore sententia vox *Galliae* iam commemorata est (vs. 19). Hic autem altero nomine Africae gentis opus esse post *Gaetulos* manifesto apparet, ut duo nomina respondeant *Mauris Nomadibusque*. Iam pridem pro *cum aquitanos* rescribendum censui *Zeugitanos*, cuius nationis memorem fuisse Arnobium eo verisimilius est, quod Siccae in oppido Zeugitanae regionis *florentissime rhetoricam docuit* [1]).

Arnobius primum contendit deos veros neque irasci neque indignari, tum sic pergit:

I 23 (pag. 15, 20) etenim revera est impium et sacrilegia cuncta transcendens, sapientem illam credere beatissimamque naturam magnum aliquid putare, si se sibi aliquis adulatoria humilitate summittat: et si fuerit non factum, despectam se credere et ab summi culminis decidisse fastigio. puerile, pusillum est et exile, vix et illis conveniens quos iamdudum experientia doctorum daemonas appellat *et heroas*, non nosse caelestia et in hac rerum materia crassiore condicionis suae sorte versari.

---

1) Hieron. de vir. illustr. 79. Conferenda sunt quae de hoc loco Arnobiano exposui Miscell. 1912, pag. 2.

Codicis lectioni *errores* Ursinus, cuius auctoritatem hic quoque Reifferscheid amplectitur, substituit *et heroas*, sed latet potius, nisi omnia me fallunt, locutio vere Arnobiana *e more*, quae optimam clausulam hic efficit; cf. II 21 (65, 22) fiet enim familiaris *e more* consuetudo in naturam versa; I 27 (18, 2) huic omnes *ex more* prosternimur; I 53 (36, 14) derideatis licet *ex more*; VII 39 (272, 11) nam et ipsi..... legimus..... patrem familias quendam..... servum..... caesum virgis..... *ex more* multasse post patibuli poena cet. Frequenter etiam Hieronymus *ex more* utitur cf. Advers. Iovin. I 41, 45, 48 cet.

Observandum denique est Parisinum exhibere V 28 (200, 1) *ex mole humano* pro *ex more humano.*

I 34 (pag. 22, 22) at vero Iuppiter ut vos fertis et patrem habet et matrem, avos avias fratres, nunc nuper in utero matris suae formatus, absolutus mensibus et consummatus *dicitur* decem ignotam sibi in lucem sensu inruisse vitali.

Multo probabilius est post *consummatus* excidisse *autumatur* quam *dicitur*, quod editor Klussmanno obsequens inseruit. Saepissime Arnobius Plautum [1]) et Apuleium imitatus usurpat verbum *autumandi,* velut 54, 24; 87, 13; 131, 22; 133, 18; 137, 19; 268, 23 cet. Unum omnino locum agnoscit Reifferscheidii Index nempe 202, 5!

I 48 (pag. 31, 27) sed frustra, inquit nescio quis, tantum adrogas Christo, cum saepe alios sciamus et *scierimus* deos et laborantibus plurimis dedisse medicinas et multorum hominum morbos valetudinesque curasse.

Pro *scierimus*, quod editor ἀθετεῖ, Meiser requirit *audierimus*, sed vide ne perfectum habeamus verbi, quod est *sciscere* [2]); itaque comparanda sunt 42, 16 novisse atque audire; 71, 13 meminerunt et sciunt; 107, 21 nosse et scire (cf. etiam 259, 22) cet.

I 49 (pag. 33, 15) atquin Christus aequaliter bonis malisque subvenit nec repulsus ab hoc quisquam est *qui* rebus auxilium duris contra impetum postulabat iniuriasque fortunae.

1) Cf. Amphitruo 332, 416, 752 cet. Hieron. advers. Iovin. I 41 cet.

2) Hoc verbum *tradendi* quoque sensum induit (cf. Index), sicut *scire* interdum significat *sentire.*

Insolitum ordinem verborum adamasse Arnobium vix est quod moneam, itaque cum Parisinus *qui* exhibeat post *rebus* quoque, edendum videtur: nec repulsus ab hoc quisquam est [qui] rebus *qui* auxilium duris contra impetum postulabat e.q.s.

In praecedentibus Arnobius exposuit et a Christo ipso et ab eius apostolis tot tantaque miracula esse facta, ut brevi tempore per totum orbem terrarum multi mortales ad fidem Christianam se converterent. Deinde legimus:

I 55 (pag. 37, 18) immo quia haec omnia et ab ipso cernebant (sc. gentes) geri et ab eius praeconibus, qui per orbem totum missi beneficia patris et munera *dis animis hominibusque* portabant, veritatis ipsius vi victae et dederunt se deo nec in magnis posuere dispendiis membra vobis proicere et viscera sua lanianda praebere.

Ipsius auctoris manum mihi videor restituere posse refingendo: qui per orbem totum missi beneficia patris et munera [dis] *animis omnibus* ⟨*us*⟩*que* portabant e. q. s. *Dis* delendum censeo tanquam dittographiam vocis, quae est *animis* sive potius $\overline{ais}$. Huius vitii multa exempla codex praebet e. g. 228, 25 semirosi duritias panis [pannis]; 192, 19 *virviriceus* pro *verveceus*; 191, 4 aluci[nati]nationibus cet. neque minus saepe repetuntur verba e prioribus, velut p. 42, 11 aliter; 157, 20 et quid; 158, 22 arquitenens Delius et silvarum. Ut contra haplographia quoque *omnibusque* pro *omnibus* ⟨*us*⟩*que* melius intellegatur, laudo 52, 8 suspiciones suas ⟨*pro*⟩ probatis et comprehensis pertinaci obluctatione tutari; 153, 17 inm⟨in⟩uta; 97, 25 commenda⟨ti⟩cias; 181, 6 alicu⟨iu⟩s cet.

Magna ex parte mecum facit Kistner [1]), qui tamen *dis* mutat in *diva*.

De morte Christi ad hunc modum Arnobius disputat:

I 62 (pag. 43, 5) mors illa quam dicitis adsumpti hominis fuit non ipsius, gestaminis non gestantis, quam nec *ipsa* perpeti succubuisset *species*, tanta si non agenda res esset et inexplicabilis ratio fati clausis patefacienda mysteriis.

---

1) Arnobiana. Programm des K. Progymnasiums St. Ingbert 1911/12, pag. 49.

Editor re vera nimis audacter hunc locum sollicitavisse videtur, quippe qui non modo *ipsa* dederit pro *ipsam*, verum etiam *species* pro *vis*! Nuper Damstéus [1]) proposuit *succubuisset videlicet*, quod clausulam non efficit. Nonne verisimile est voce *vis* orta ex altera parte verbi antecedentis genuinam scripturam *iste* extrusam esse? Sic certe facile vitii origo intellegitur simulque legendo *succubuisset iste* tertiam clausulam [2]) lucramur. Pronomem *iste* scriptoribus ex Africa oriundis erat in deliciis [3]). In bonam partem accipiendum est *iste* III 24 (128, 25) qui sit deus obliti, quid *istius* magnificentia nominis; II 52 (89, 22) cuius animam fecerat universitatis *istius*; Lactant. divin. inst. IV 7, 1 Fortasse quaerat aliquis hoc loco qui sit *iste* (= Christus) tam potens, tam deo carus, et quod nomen habeat, cuius prima nativitas non modo antecesserit mundum, verum etiam prudentia disposuerit, virtute construxerit.

Christus ille, qui caecos, qui claudos, qui mortuos in statum integrum restituerat, se ipsum contra hostes non defendit, immo incredibilis illa lenitas morte sua suis declaravit, quid a se exspectare deberent. His luculente expositis subiungit auctor verba nunc admodum turbata:

I 63 (pag. 44, 1) cum enim de animarum periculis multa *mala* de illarum contra insinuator, magister atque auctor ad officiorum convenientium fines suas leges et constituta direxit: non superbiae fastum comminuit, non libidinum extinxit flammas, non hiatum compressit aviditatis, non tela extorsit e manibus atque omnia seminaria totius vitiositatis abscidit?

Haud scio an sententiam loci, non dico ipsa verba, deprehenderim reponendo: cum enim de animarum periculis multa, *multa* de illarum contra ⟨*cura tradens*⟩ insinuator, magister atque auctor ad officiorum convenientium fines suas leges et constituta direxit cet. i. e. belgice: Doordat Christus de opvoeder, meester en voorganger den menschen herhaaldelijk de gevaren toonde, waaraan de ziel blootstaat, herhaaldelijk hun wees op de zorg voor deze en zijn wetten en voorschriften bepaalde

1) Cf. Mnemos. XLV (1917) pag. 165.

2) Cf. Lorenz de clausulis Arnobianis (Vratislaviae 1910) pag. 4 § 3 *dactylus antecedit ditrochaeum* cet.

3) Cf. quae dixi infra in cap. III de pronom. demonstrativ.

overeenkomstig den eisch der hoogste plichten, heeft hij dan zoo niet hun hoogmoed en trots verminderd, hun gloeiende hartstochten gebreideld, paal en perk gesteld aan hun onverzadelijke begeerten, aan hun handen de wapenen ontwrongen en alle kiemen der verdorvenheid uitgeroeid?

I 65 (pag. 45, 19) o ingratum et impium saeculum, o in privatam perniciem incredibili pectoris obstinatione *paratum*.

Ursino et Reifferscheidio placuit in textum recipere *paratum* pro codicis scriptura *privatum*, quae nata est ex antecedenti *privatum*, sed neque *paratum* neque *pronum*, quod Gelenius coniecit, bonam clausulam efficit. Quid scribendum sit docet IV 13 (151, 5) iamdudum nos pudet ad eum locum venire, in quo risum tenere non possunt non tantum puerculi et procaces, verum etiam serii atque in moris [1]) taetrici asperitatem *durati* e. q. s. Mea lectio: in privatam perniciem incredibili pectoris obstinatione *duratum* illustrari potest his Taciti verbis Hist. IV 59 nec illi, quamquam ad omne facinus *durato*, verba ultra suppeditavere, quam ut sacramentum recitaret.

Arnobius ut redarguat adversarios animas divinas atque immortales esse contendentes similem fere pueris illis, de quibus Herodotus [2]) nos certiores facit, cogitatione homunculum fingit, qui in solitudine educatur. Illa autem argumentatio incipit sic: II 21 (pag. 65, 6) adhibeamus igitur et nutricem, quae semper ad eum nuda, semper silens accedat, verbum nullum faciens nec in sermonis alicuius ⟨*similitudinem*⟩ ora et labra diducat, sed cum mammas dederit et consequentia supplerit officia, datum quieti linquat et ante fores clausas dies noctesque continuet.

*Similitudinem* inseruit Reifferscheid; substantivum certe excidisse manifestum est, equidem addiderim *genus* cf. II 8 (53, 16) estne operis in vita negotiosum aliquod atque actuosum *genus*; 94, 1 quonam operis *genere*; 62, 14 omni *genere* perfectionis artifices (sc. manus); 45, 26 medicaminis *genus*; 27, 11 mortis asperrimo *genere* lacerati cet.

II 36 (pag. 77, 9) Plato ille divinus multa de deo digna nec

1) Sic probante Orellio emendavit Salmasius codicis lectionem *mares*.
2) Lib. II 2.

communia sentiens multitudini in eo sermone ac libro cui nomen Timaeus scribitur deos dicit et mundum corruptibilis esse natura neque esse omnino dissolutionis expertes, sed voluntate dei regis ac principis vinctione in perpetua contineri. quod enim recte sit vinctum et nodis perfectissimis conligatum, dei bonitate servari: neque ullo ab alio nisi ab eo qui vinxit et dissolvi, si res poscat et 〈*perpetuitatis*〉 salutari iussione *donari*.

Verba imperfecta, quae Parisinus exhibet, conatus sum emendare supplemento hausto ex iis, quae paulo infra legimus II 53 (89, 24) ergo cum haec ita sint, non absone neque inaniter credimus, mediae qualitatis esse animas hominum utpote ab rebus non principalibus editas, iuri subiectas mortis, parvarum et labilium virium: *perpetuitate donari*, si spem muneris tanti deum ad principem conferant, cui soli potestas est talia corruptione exclusa largiri.

Pulcherrima clausula *iussióne dònári* servanda est, quod observo propter editorem in apparatu critico perperam requirentem: dona immortalitatis donari. Itidem erraverunt viri docti, qui vocem *iussione* sollicitaverunt, cum crebro ea in Arnobii opere reperiatur I 45 (29, 24) cuius (sc. Christi) foedae vitiligines *iussioni* obtemperabant; I 50 (34, 11); II 44 (83, 21) cet. Cf. etiam Firmic. Matern. Math. I 7, 30 et 31; Augustin. de civ. dei I 21; I 26; Prudent. Peristeph. X 337; Lactant. div. inst. VI 17, 24 terreamur, quominus dei *iussionem iussioni* hominis praeferamus.

II 41 (pag. 81, 19) idcirco animas misit, ut divini ponderis et gravitatis oblitae gemmas lapillos margaritas castitatis dispendio conpararent, conspiciendis quaererent corporibus fucos, innecterent *catenis* colla, lannas pertunderent aurium, imminuerent frontes limbis, fuligine oculos obumbrarent e. q. s.

Alii transponendis verbis sinceram lectionem recuperare conati sunt, at Reifferscheid vidit *his* codicis scripturam depravatam esse, sed non facile librarius dedit *his* pro *catenis*, potius cogitandum est de *iri*, de qua Plinius refert N. H. XXXVII 136 Proximum cerauniae nomen apud eos habet quae vocatur *iris*. effoditur in quadam insula Rubri maris quae distat a Berenice urbe LX mil. pass. cetera sui parte crystallus. itaque quidam eam radicem crystalli esse dixerunt. ex argumento vocatur *iris*, nam sub tecto percussa sole species et colores arcus caelestis in proximos

parietes eiaculatur, subinde mutans magnaque varietate admirationem sui augens.

Edendum ergo erit ut optima clausula existat: innecterent *iribus* colla.

II 42 (pag. 82, 17) idcirco animas misit (sc. rex mundi), ut in maribus exsoleti, in feminis fierent meretrices sambucistriae psaltriae, venalia ut prosternerent corpora, vilitatem sui populo publicarent, in lupanaribus promptae, in fornicibus obviae, nihil pati renuentes *et ad oris aere conparatae constuprationem*? [1])

Ultima verba huius sententiae in Parisino sic se habent: et ad oris sacri comparatione. *Aere* pro *sacri* recte videtur Reifferscheid edidisse, at cetera minus prospere ei cesserunt, nam verbum *constuprationis* nusquam legitur. Scribe ut bonam clausulam (sc. tertiam)[2]) certe consequaris: et ad oris *aere* ⟨*contaminationem*⟩ *paratae*.

De Iove Saturni filio eiusque prole cum alia exponit Arnobius tum haec:

II 70 (pag. 104, 16) certo ergo a tempore deus esse Iuppiter coepit, certo cultus et sacrificia commereri, certo fratribus in potestatibus anteponi. rursus vero si Liber Venus Diana Mercurius Apollo Hercules Musae, Tyndaridae Castores ignipotensque Vulcanus Iove patre sunt proditi et genitore Saturnio procreati, ante quam Memoria, quam Alcmena Maia Iuno Latona Leda Dione, quam et Semela Diespitri factae sunt compressionibus fetae, nusquam et hi gentium nec in aliqua parte rerum *fuere* naturae, sed ex conventu Iovis inseminati et nati sunt et aliquem sensum sui habere coeperunt.

Pro *fuisse*, quod in Parisino exaratum est, Sabaei coniecturam Orellius et Reifferscheid receperunt *fuere*. Meliore via et ratione locum sanare possumus, si infinitivo revocato edimus: nusquam ⟨*queunt*⟩ et hi gentium nec in aliqua parte rerum *fuisse* naturae e. q. s. Rhetor Siccensis saepissime verbum, quod est *quire*,

---

1) Interrogationis signum omisit editor, qui omnino distinctionem neglegentius tractavit.

2) Cf. Lorenz de clausulis Arnobianis (Vratislaviae 1910) pag. 4, § 3 de clausula tertia: *Creticus cum ditrochaeo extat* e. q. s.

adhibet, velut I 63 (43, 9) quae (sc. mysteria) nulli nec homines scire nec ipsi qui appellantur dii mundi parte *queunt* aliqua suspicionis atque opinationis attingere; 42, 1 quiret; 42, 10 quibat; 218, 9 non quiverit cet.

II 72 (pag. 107, 11) non ergo quod sequimur novum est, sed nos sero addidicimus quidnam sequi oporteret ac colere aut ubinam conveniret spem salutis adfigere et salutaria subsidia conlocare. nondum enim adfulserat qui viam monstraret errantibus [1]) et caligine in altissima constitutis cognitionis lumen inmitteret et ignorationis discuteret caecitatem. sed causa in huiusmodi vertitur..... sola? quid, vos Aegyptiaca numina, quibus Serapis atque Isis est nomen, non post Pisonem et Gabinium consules in numerum vestrorum rettulistis deorum?

Arnobius adversariis explicare vult homines antequam Christus nuper veram fidem docuisset, carentes lumine veritatis erravisse, sed ne Romanos quidem coepisse Serapim atque Isim colere ante Pisonem et Gabinium consules (58 a. C. n.), cum sibi persuasissent Aegyptiaca illa numina tantummodo vera esse: itaque et Christianam et Romanam religionem pependisse ex tempore, quo sincerus cultus cognosceretur. Pro hianti igitur sententia exspectaveris fere: sed causă in huiusmodi ⟨*re nostră*⟩ vertitur sola? (belgice: Draait het bij onze zaak alleen om zoo iets?) Reifferscheid debebat utique lacunam significare ante *vertitur*, ne clausulam optimam perderet.

III 23 (pag. 127, 10) per maria ⟨*Mater Matuta*⟩ tutissimas praestat commeantibus navigationes: *et* cur insanum mare tam frequentes *exposcit* crudelium naufragiorum ruinas?

Inter *maria* et *tutissimas* excidisse nomen dei deaeve alicuius in promptu est; ingeniose editor revocavit *Mater Matuta*, fortasse autem solum *Matuta* sufficit, ut Cic. Tusc. I 28 Ino Cadmi filia nonne Λευκοθέα nominata a Graecis *Matuta* habetur a nostris? Iam vero recte Gelenius restituit *et* pro *set*, quod P exhibet. Illud *et* in hoc uno capite occurrens octies in exclamationibus et interrogationibus eandem vim induit atque εἶτα in sententiis

1) Editor neglexit conferre Ennianum illud (Cic. de off. I 51; pro Balbo 36): Homo, qui erranti comiter monstrat viam cet.

interrogativis, quod saepe exprimit dictio *quae cum ita sint* cf. Verg. Aen. I 48

> *et* quisquam numen Iunonis adorat
> praeterea, aut supplex aris inponet honorem?

Cic. de imp. Cn. Pomp. § 42 *et* quisquam dubitabit, quin huic hoc tantum bellum transmittendum sit? [1])

Iniuria tamen Reifferscheid recepit Iunii coniecturam *exposcit*, cum codicis lectionem *exposuit* (= eiecit in terram) tueatur Ovid. Metam. XI 56

> hic ferus *expositum* peregrinis anguis harenis
> os (sc. Orphei) petit e. q. s.

De significatione et derivatione nominum aliquot deorum legimus: III 33 (pag. 133, 21) praetermittimus hoc loco satietatis fuga Vulcanum, quem esse omnes ignem pari voce pronuntiatis *ac sensu*, quod ad cunctos veniat, Venerem, et quod sata in lucem proserpant, cognominatam esse Proserpinam.

*Ac sensu* scripsit editor pro *adsensu*, quod exhibet P. Vix dubito quin usus Arnobianus flagitet: pari voce.... *adsensu*⟨*s*⟩, quod genus dicendi proprium est rhetoris nostri operis, cf. I 16 (13, 9) mali ominis obscenitate; II 7 (52, 13) sub inflati pectoris tumore; II 30 (73, 14) actionum turpium foeditate cet.

III 34 (pag. 134, 6) non indocti apud vos viri neque quod induxerit libido garrientes Dianam Cererem Lunam caput esse unius *deae triviali germanitate* pronuntiant e. q. s.

Immerito editor *deae* efficit ex tradita scriptura *diei*, cum iam *d*[*i*]*ei* sufficiat. *Deus* a poetis Latinis interdum ponitur pro *dea* [2]), quod ferendum est etiam in Arnobio poetarum veterum Lucretii Virgilii aliorum imitatore.

Praeterea locutio *triviali germanitate* nihil habet quod offendat, merae hariolationes a Reifferscheidio in apparatu critico propositae sunt. Verterim: het zijn geen ongeleerde mannen noch lieden

---

1) Cf. Kühner-Segmann II § 151, 5 pag. 6. Vide etiam quae exposui infra in cap. III de coniunctionibus.

2) In notissima parte Aeneidos libri secundi interpolata pertinet (vs. 632) *ducente deo* ad Venerem. Servio Benoistio aliis *deus* Aen. VII 498 (Nec dextrae erranti *deus* afuit) est Allecto. Apud Herodotum quoque legitur ὁ θεός pro *dea* I 31; II 133 cet.

gewoon om er maar uit te flappen, wat de willekeur hun ingeeft, die verklaren, dat Diana, Ceres en Luna 't wezen van éen godin voorstellen onder een drievoudige splitsing in zusters (sive potius: de natuur van éen godin voorstellen gesplitst in drie zusters).

IV 10 (pag. 148, 21) quodsi habent in sedibus ⟨*divinis*⟩ suos proprios praesides ossa, mella et limina ceteraque alia quae vel cursim perstrinximus vel nimietatis non adtigimus taedio, licet consimili ratione mille alios deos inducere, qui rebus innumeris debeant suam curam custodiamque praebere.

*Divinis* supplementum est Reifferscheidii, quod necessarium non est, nam *in sedibus* accipiendum est pro *in sedibus suis* vel *idoneis*, sicut dictum est apud Vergilium Aen. II 232

ducendum *ad sedes* [1]) simulacrum orandaque divae
numina conclamant.

IV 20 (pag. 157, 14) uxores enim dii habent atque in coniugalia foedera condicionibus veniunt ante quaesitis? usu farreo coemptione genialis lectuli sacramenta condicunt? habent speratas, habent pactas, habent interpositis stipulationibus sponsas? et quid de ipsis *condicionibus* loquimur, quando et quosdam nuptias celebrasse et festas habuisse frequentias..... dicere et lusisse in his deas et, quod participes fescenninorum non essent, perturbasse discordiis omnia et *hominum* in posterum genus exitiorum sevisse discrimina?

Iniuria optimae codicis lectioni *coniunctionibus* editor substituit *condicionibus*, nam apparet Arnobium agere de ipsis nuptiis conficiendis. Lacuna autem statuenda non est inter *frequentias* et *dicere*, quae verba bonam clausulam efficiunt, sed revoca potius: quando et quosdam ⟨*quitis*⟩ nuptias celebrasse et festas habuisse frequentias dicere e. q. s.

Pro *hominum* denique P exhibet *humano*, quocirca apertum est genuinam scripturam fuisse: *humano*⟨*rum*⟩ in posterum genus. Lucretio, a quo rhetor noster tam multa mutuatus est [2]),

1) Fickelscherer vertit: an den *gebührenden* Platz.

2) Cf. Spindler De Arnobii genere dicendi (1901) pag. 3—11; praeterea vide Miscella altera mea (1913), pag. 34.

debet sine dubio substantivum *humani*; cf. de rer. nat. II 79

et saepe usque adeo, mortis formidine, vitae
percipit *humanos* odium lucisque videndae e. q. s.

atque ibidem vs. 836

in dubioque fuere utrorum ad regna cadendum
omnibus *humanis* esset terraque marique. [1])

IV 22 (pag. 158, 19) ex Hyperiona, inquitis, matre et ex Iove iaculatore fulminis Sol aureus et flagrantissimus natus est: ex Latona et eodem arquitenens Delius et silvarum agitatrix Diana: ex Leda et eodem [arquitenens Delius et silvarum]..... *graece Dioscoris nomen est*: ex Alcmena et eodem Hercules ille Thebanus, quem clava pellisque tutata sunt: ex Semela atque ipso Liber, qui Bromius dicitur et ex femine iterum natus patris.

Hic librarium graviter peccasse perspicuum est. Ecquis negabit *graece Dioscoris nomen est* e margine in verborum contextum irrepsisse? In lacuna possis certe explere *Tyndaridae fratres*, haustum ex Tusculan. I 28, ubi similia narrantur de Hercule et Libero et Castore et Polluce, equidem multo malim repetere ex ipso Arnobio (I 36 pag. 23, 24): Tyndaridae Castores, equos unus domitare consuetus, alter pugillator bonus et crudo inexuperabilis caestu.

IV 24 (pag. 161, 7) *numquid* furem Mercurium publicavimus *nos*? nos esse Lavernam atque cum hoc simul fraudibus praesidere furtivis? *numquid* ex nobis Myrtilus est auctor, qui Macari filiae Megaclonis ancillulas profitetur fuisse Musas? *numquid* rege a Cyprio, cuius nomen Cinyras est, *dictatum* meretriculam Venerem divorum in numero consecratam?

Pro *non*, quod P exhibet, Hildebrandium sequens Reifferscheid recepit *nos*, quae vox misere pessumdat clausulam. Qui tamen leget totum hoc caput XXIV., eum non fugiet ab Arnobio ter decies particulam interrogativam *numquid* esse iteratam. Eadem repetitio invenitur etiam alibi e. g. I 2 (pag. 4) decies; I 40 (pag. 27) ter; II 1 (pag. 47) quater; VII 9 (pag. 243) quinquies.

---

1) Etiam codex Mediceus (Cic. ad Attic. XIII 21*a*, 2) praebet: possum falli ut *humanus*, at in editionibus legitur *homo*.

Quamobrem hic quoque restituo: numquid furem Mercurium publicavimus? *numquid* nos esse Lavernam e. q. s.

Sic demum numerosum sententiae finem (*Mercúrium publicávimus*) effecimus, ita ut quattuor syllabae inter duos ultimos accentus interponerentur. Eiusmodi clausulas enumerat Lorenz (l. l. § 5 pag. 6) plus quam viginti recteque suspicatur iam apud Arnobium cursus velocis vestigia reperiri. [1])

Alterum vitium, quod turpat locum descriptum, puto tolli posse, si auctori reddemus: *dicatam* meretriculam Venerem divorum in numero consecratam. Revera illa abundantia *dicatam..... consecratam* a rhetorico genere dicendi non aliena videtur.

---

1) Tres cursus planum tardum velocem inveniri apud Ammianum Marcellinum notum est, qua de re C. U. Clark dilucide disputat in editionis suae Praefatione (pag. VII).

# CAPUT II.

Antequam incipiamus disputare de libro quinto necesse est paucis verbis disserere

## De Genetivo inhaerentiae.

Nemo nescit poetas Graecos saepe duo substantiva, licet synonyma sint, tamen ita coniungere ut alterum ex altero casu genetivo pendeat e. g. Hom. Iliad. XV 668 νέφος ἀχλύος; XIII 271 νεῖκος πολέμοιο; XVI 162 φόνου αἵματος; Odyss. 5, 292 πάσας δ'ὀροθύνειν ἀέλλας | παντοίων ἀνέμων; ibid. 335 ἁλὸς ἐν πελάγεσσι; 10, 54 ἀνέμοιο θυέλλῃ.

Theogn. 106 πόντον ἁλὸς πολιῆς.

Soph. Phil. 594 ἰσχύος κράτος; Eurip. Hipp. 1166 ἁρμάτων ὄχος.

Alia exempla praesertim e Pindaro et poetis tragicis affert F. Pfister in Berl. phil. Woch. XXXIV 36 (1914, 5 Sept.) col. 1149 sq. Eodem loco idem vir doctus complurlbus exemplis genetivi qui vocatur inhaerentiae vel synonymi [1]) enumeratis e latinitate posteriore cum alia scribit tum haec: In dieser Erscheinung, die in der klassischen Latinität im Gegensatz zum Genetivus appositivus [2]) fehlt und nur in der Volkssprache und im Spätlatein vorkommt, wird man den Sprachgebrauch des ungeübten Autors häufig erkennen können, der alle synonymen Ausdrücke anbringen will, die ihm einfallen. Quamquam haec verba omnes in se numeros habent veritatis, tamen operae pretium est attendere genetivum gerundii eandem vim habentis

1) Cf. Schmalz Lat. Gramm. § 69 Anm. 2 et Arch. f. lat Lexikogr. VII pag. 477.

2) Ergo fallitur Kühner-Stegmann (II Bd. I § 83 Anm. 6 pag. 420) scribens: Erst dem späteren Latein gehört die Verbindung zweier Synonyma durch den gen. appositivus an e. q. s. Quantopere genetivus inhaerentiae differat a genetivo appositivo luculente Pfister demonstrat l.l.

atque substantivum, e quo pendet: *eligendi optio*, quem genetivum Cicero ter adhibet. (De finib. I 33; Brut. 189; ad Attic. IV 19, 2). Neque praetereundus est locus Sallustianus Cat. 39, 6 cuiusque *modi genus* hominum, ubi verum genetivum inhaerentiae deprehendimus. Eum usum Plautus imprimis plebi fabulas componens non omnino aspernatus est, cf. Stich. 278

*amoenitates* omnium venerum et *venustatum* adfero.

Ut transeamus [1]) ad scriptores argenteae Latinitatis, Seneca nisi perraro hoc genetivo non utitur: Nat. Quaest. IV*a* 2, 5 *scopulos cautium* et in tragoedia Med. 736 gelida pigri *frigoris glacies*.

Martialem perlegens adnotavi hosce genetivos synonymos IV 4, 1 *palus lacunae*; Epigramm. lib. 27, 11 *laudis gloria* [2]); ibid. 15, 1 *gloria famae*.

In uno capite tractatus cui titulus de Platone et eius dogmate (I 12) Apuleius [3]) bis genetivo inhaerentiae utitur: *ad fati sortem* (Thom. 95, 18) et *ad aevitatem temporis* (ibid. 96, 7). Illum genetivum idem auctor circumscribit ope adiectivi Metam. VII 6 *sors fatalis*, hunc repetunt Minuc. Fel. 38, 7 et Arnob. II 22.

Praeclara exempla etiam Cyprianus praebet: de cath. eccl. unit. 23 *astutiae calliditate*; de mortal. 8 *morbi* istius *valitudo* (cf. ibid. omnium valitudo membrorum); ibid. 12 in *pugnae congressione* [4]); ad Fortunat. praef. 4 omnibus *postulationum* nostrarum *precibus*.

Verum haud scio an nullus scriptor magis hunc genetivum adamaverit quam Arnobius, cuius ex opere quadraginta [5]) fere exempla facile proferri possunt. Huius tamen nnmeri exigua tantum pars ab editore in Indice laudatur (pag. 347 „synonyma ex se apta"). Sunt autem haec:

---

1) Quae exempla Wölfflin e Vitruvio, Minucio Felice cet. (in Archiv, l.l.) et Pfister (in Berl. phil. Woch., l.l.) collegerunt, praetermitto.

2) Cf. Firm. Matern. Mathes. I 2, 6 gloriae laudem.

3) Cf. etiam Koziol (Der Stil des Apuleius) pag. 22—32.

4) Contra Lactantius integram Latinitatem affectans scribit divin. inst. VI 6, 15 cum te certamini congressionique commiseris.

5) Silentio praeterii exempla qualia 76, 25 vitae incipientis exordia, 73, 14 actionum turpium foeditate; 13, 9 mali ominis obscenitate; (vide quae observavi supra ad III 33); Firm. Matern. Math. V Praef. § 2 desiderantis animi cupiditatem; Sidon. Apollin. I 11, 6 hiantis interregni rima cet., in quibus adiectivi participiive demum vi genetivus ille nascitur.

I 2 (pag. 4, 17) moderaminis temperamenta (redit V 1; 173, 9).

I 23 (15, 27) condicionis suae sorte (redit II 35; 76, 17). Satis apparet haec verba ἰσοδύναμα esse ex I 36 (24, 8) sortis.... et condicionis cuius; II 63 (49, 8) mortalitatis sortem condicionemque; V 12 (184, 19) nostrae sortis et condicionis humanae. cf. Firm. Matern. de errore prof. rel. 25, 3 condicione sortis.

I 28 (19, 14) ortus sui originem.

I 42 (28, 6) sine ullius rei [1]) dubitationis ambiguo (cf. II 78; 111, 17 dubitamus ambigimus).

I 48 (32, 20) admirationis alicuius stupore (cf. I 50 per admirationem stupentibus cunctis).

I 60 (41, 27) contemplationis obtutus.

I 62 (42, 18) mortis occasus (cf. Tertull. adv. Iud. 13 mortis necem).

I 63 (44, 3) superbiae fastum (prorsus idem legitur Augustin. civ. dei I 28).

I 63 (44, 4) hiatum aviditatis.

II 1 (47, 13) adrogantiae supercilio.

II 6 (51, 19) scientiae disciplinis (redit V 2; 175, 16). Cf. Vitruv. de archit. III 1 (62, 23) disciplinarum scientiae; Firm. Matern. Mathes. V praef. § 1 omnibus istius scientiae disciplinis.

II 13 (58, 23) obstacula impeditionis.

II 14 (59, 18) finis abolitionis extremus.

II 22 (66, 11) temporis aevitatem; (locos parallelos iam attuli paulo supra agens de Apuleio).

II 29 (72, 15) formidinis alicuius horrore.

II 63 (98, 19) ab interitionis exitio liberaret.

III 26 (129, 12) taciturnitatis silentio.

III 31 (132, 20) summitatis ipsius summam.

III 35 (134, 26) disiunctionis differentia.

III 39 (137, 13) potentiae vim (redit IV 28; 164, 21) cf. Boeth. consol. philos. IV 2, 114 huius potentiae vis.

IV 21 (157, 23) turpitudinis foeditas (cf. infra V. 17).

IV 26 (162, 18) castimoniae virginitate.

IV 29 (165, 14) scrupulosae diligentiae cura.

---

1) *Rei* codicis lectio servanda est, at Reifferscheid edit *seriae*!

IV 35 (169, 24) ad usum quaestus sui (= ten eigen bate) abutuntur dis vestris.
V 3 (175, 27) verrucula collis.
V 4 (176, 20) ingeniola fictionum.
V 8 (181, 9) nativitatis suae originem.
V 8 (181, 11) causarum rationibus; cf. VII 24 rationis alicuius causam aliquam. Saepe etiam invenitur: quae causa, quae ratio VII 25 (258, 20); cf. V 38 (208, 6); VII 3 (239, 6) cet.
V 12 (185, 1) stipitis robur.
V 13 (185, 17) subolem sui pigneris.
V 17 (189, 16) turpitudinis infamia (cf. supra IV 21).
V 22 (194, 7) ab imagine tam foedae cogitationis.
V 39 (208, 20) initiorum mysteriis.
VI 14 (226, 17) runcinarum..... de planis.
VI 16 (228, 7) commissurarum iuncturas.
VI 16 (228, 19) putredinis carie.
VI 19 (231, 10) summam totius.
VII 18 (252, 16) observationis alicuius et *religionis* metu.
VII 21 (254, 28) transactionis alicuius pactione.
VII 24 (257, 5) ex usu consuetudinis.
VII 34 (268, 10) humilitatis suae modestiam.
VII 35 (269, 9) nativitatis exordium.

Age Arnobianis exemplis subiungamus permulta e Firmici Materni libris hausta et quidem primum e Matheseos libris:
I prooem. § 3 sermonum fabulas.
I 2, 6 gloriae laudem (cf. Martial. Epigr. lib. 27, 11).
I 7, 10 sapientiae doctrina.
I 7, 33 potestatis imperio (redit I 8, 4).
I 9, 1 veneni virus (redit V 2, 16; de errore prof. rel. 18, 2; ibid. § 5; 20, 7).
I 10, 10 contentionis conflictatione certarent.
I 10, 12 sapientiae prudentia.
I 10, 12 dominationis imperia.
IV prooem. § 1 contentionis iurgiosa certamina.
IV prooem. § 1 livor invidiae (redit V praef. § 2).
IV prooem. § 3 sollicitudinis cura.
IV 4, 5 mortis exitium; cf. IV 24, 2 mortis violentia exitia; cf. infra de errore prof. rel. 12, 4.

V praef. § 1 omnibus istius scientiae disciplinis (cf. supra Arnob. II 6).
V praef. § 3 vinculo necessitudinis obligatus.
VIII 1, 5 originis nostrae principia (cf. Apul. [1]) de Plat. II 26), deinde ex opusculo, quod inscribitur de errore prof. relig.:
5, 3 desiderium cupiditatis (cf. Minuc. Fel. 2, 3 aviditatem desiderii).
12, 4 necis exitium; cf. 18, 4 mortis exitia (redit 18, 7); 25, 3 mortis exitium. (Contra 12, 7 exitia et mortes; 28, 2 in exitium suum mortemque; ibid. § 13) Cf. Mathes. IV 4, 5 mortis exitium (= Apulei Metam. V 27).
13, 4 immundi daemonum spiritus (cf. 28, 10 contaminatos ac pollutos spiritus).
16, 4 vulneris plaga.
25, 3 condicione sortis (cf. supra Arnob. I 23 condicionis suae sorte cet.)
26, 4 societatis consortio.
28, 7 sacrosanctae legis scita [2]); cf. Plin. N. H. XIV 28, 146 (Detlefs. pag. 286) diligenti scito legum.
29, 3 amplificationis maximae augmenta.

Cum noverimus non ita paucas locutiones ab Arnobio Firmicum Maternum mutuatum esse [3]), statuere eo magis licet hunc etiam illius frequentem usum genetivi inhaerentiae sibi ad imitandum proposuisse.

Agmen exemplorum claudat locus litterarum divinarum: Act. Apost. VIII 23 εἰς χολὴν πικρίας, in felle amaritudinis.

Quibus expositis contra Reifferscheidii tentamina lectionem traditam tueri possumus horum trium locorum:

V 1 (pag. 174, 3) sed cum liquoribus odoratis offendissent (sc. Faunus et Martius Picus) fragrantia pocula, vetustioribus anteposuisse res novas, invasisse aviditer, dulcedine potionis captos hausisse plus nimio, obdormivisse factos graves; tum bis senos (sc. iuvenes) incubuisse sopitis, iniecisse madidatis vincla, expergitosque illos statim perdocuisse regem (sc. Numam), quibus ad

---

1) At legitur Apul. de Platon. I 7 habere originem atque principium.

2) In indice verborum a Zieglero ceteroquin tam diligenter composito *scitum* legitur inter formas verbi quod est *scire*.

3) Id luculente comprobatum est a Zieglero in apparatu altero, quo editionem suam opusculi, cui titulus de errore prof. rel., instruxit.

terras modis Iuppiter posset et sacrificiis elici, et accepta regem scientia rem in Aventino fecisse divinam, elexisse ad terras Iovem ab eoque quaesisse *fulguritum* procurationis morem.

In Parisino exaratum non est *fulguritum* sed *ritum* (pro: *rituum*). Quis autem non videt *rituum morem* accipiendum esse pro genetivo inhaerentiae? Restitue ergo: *ritu⟨u⟩m* procurationis morem.

VI 16 (pag. 228, 16) ita enim non videtis spirantia haec signa, quorum plantas et genua contingitis et contrectatis orantes, modo casibus stillicidiorum labi, *putredinis* modo *carie* relaxari, ut nidoribus atque fumo suffita ac decolorata nigrescant, quemadmodum saecli longioris incuria perdant *situ* species et robigine convulnerentur exesa?

Lectio Parisini *incuria..... situs* (genetivus inhaerentiae, nihil habens quod abhorreat ab usu Arnobiano servanda est. H. l. igitur duo genet. syn. inveniuntur cf. *putredinis carie* (226, 19).

III 15 (pag. 122, 14) Aegyptiorum ridetis aenigmata, quod mutorum animantium formas divinis inseruerint causis easdemque quod species multo ture accipiant et reliquo caerimoniarum paratu: vos effigies hominum tamquam deorum veneramini potestates nec pudet his ora terreni animalis imponere, erroris alios et stultitiae condemnare et in erroris eiusdem similitudine ac *vitii* deprehendi.

Hic quoque auctori reddenda est tradita memoria: *erroris..... vitio.*

Relinquitur ut dicamus de V 10 (init.).

In praecedentibus Arnobius refert quomodo Iuppiter id egerit ut cum Deum Matre concumberet, tum sic pergit:

V 9 (182, 20) conluctatus ergo diutissime cum invita est, victus fractus superatusque deficit, et quem pietas diiugare ab infando matris non valuit adpetitu, effusa libido diiunxit? V 10 nisi forte dicetis, conventionis huiusmodi *coeptum* genus vitat atque execratur humanum, apud deos incesta sunt nulla.

*Conventionis..... coetum* genuinam scripturam esse nemo non videt, utrumque enim verbum sensu *coitus* ponitur, qua de re legentes satis habeo relegare ad editoris Indicem.

V 2 (pag. 175, 21) hoc est enim dicere: illo ritus genere meas iras placabitis, et si quando per fulgura significavero

aliquid imminere, facite hoc et illud, *ut* quod fieri statui inane fiat et vacuum et sacrorum⟨*vi*⟩ vanescat.

Post *illud* neque codex exhibet coniunctionem neque ulla desideratur [1]), si modo interpunctionem mutamus. Iam vero *vi* Cuiacii supplementum clausulam malam efficit, quam tollere studens ediderim: facite hoc et *illud*: quod fieri statui inane fiat et vacuum et sacrorum ⟨*arte*⟩ vanescat [2]).

V 3 (pag. 176, 4) quid? quod sequitur fidem *suam habet*, tam improvidum fuisse Saturnium, ut aut ea proponeret quorum ambagibus ipse caperetur aut nesciret futurum, quibus lusura se modis astutia esset calliditasque mortalis?

In P invenimus *fidem sumet aut* tam e. q. s. itaque lacuna statuenda est post *aut*, in qua ut rhythmus apte cadat, supplendum videtur: quid? quod sequitur fidem *sumet aut* ⟨*faciet*⟩, tam improvidum e. q. s.

V 7 (pag. 179, 13) Agdestis scatens ira convulsi a se pueri et uxoris ad studium derivati convivantibus cunctis furorem et insaniam suggerit: conclamant exterriti *adorandorum* Phryges.

Nonne fieri potest ut depravata scriptura orta sit ex: conclamant exterriti *adora, adora* Phryges?

V 7 (pag. 179, 21) evolat cum profluvio sanguinis vita, sed abscisa quae fuerant Magna legit et..... Mater deum inicit his terram, veste prius tecta *erant* atque involuta defuncti.

In lacuna Reifferscheid scribere vult *lavit balsamisque unxit*, quod supplementum sine dubio hausit ex V 14 (187, 2); mihi sufficit tradita lectio. In sequentibus requisiverim: inicit his terram — ⟨*ista erant*⟩ veste prius tecta atque involuta defuncti.

V 12 (pag. 184, 22) sed quaestionem movemus parte in hac nullam: fuerit (sc. Agdestis) licet de divino genere vel ex nobis aliquis, si hoc rectius existimabitis dici: *lentene* fluore de sanguinis et ex genitalibus amputatis arbor mali enata est punici,

---

1) Cf. Schmalz Glott. V pag. 205.

2) Lorenz l.l. 43 requirit: sacrorum⟨*vi e*⟩*vanescat*.

an *tum quando* vis illa telluris cooperta est gremio, solum radice complexa est, in stipitis exiluit robur e. q. s.

Iniuria editor *lentene* recepit pro tradita lectione eademque verissima *etiamne* [1]. Mox legimus in Parisino: *an tumque quando* cet., quare proposuerim: *an tum* ⟨*deni*⟩*que quando* vis illa telluris cooperta est gremio e. q. s.

Cf. Cic. de finib. III 75 recte invictus (sc. dicetur), cuius etiamsi corpus constringatur, animo tamen vincula inici nulla possint, nec expectet ullum tempus aetatis, uti *tum denique* iudicetur beatusne fuerit, *cum* extremum vitae diem morte confecerit e. q. s.

V 13 (pag. 186, 10) si Midas rex offenderat, qui uxore adulescentulum vinciebat, quid admiserat Gallus, quid pelicis filia ut ille se viro, haec mammarum honestate privaret? tibi habe haec, inquit, propter quae res tantas animorum subversionibus concitasti, nesciremus adhuc omnes, quid in adulti corpore furor desiderasset Agdestius, nisi puer abscisa *satiatus* obiecisset offenso.

Reifferscheidii dubitationes de integritate vocis traditae *satietatis*, quam mutavit in *satiatus*, non videntur esse legitimae. Excidit potius inter *abscisa* et *satietatis* adiectivum aliquod velut *plenus*, cf. VII 44 (277, 30) hilaritatis plenissimas voluptates cet.

V 27 (pag. 198, 22) quidnam quaeso *spectaculi*, quid in pudendis fuit *rei verendis*que Baubonis, quid feminei sexus deam et consimili formatam membro in admirationem converteret atque risum, quod obiectum lumini conspectuique divino et oblivionem miseriarum daret et habitum ⟨*in*⟩ [2] laetiorem repentina hilaritate traduceret?

*Spectaculi* Vahleni coniectura est pro codicis scriptura *in specuali*; *verendis* autem optima emendatio debetur Stewechio, qui idem *rei* effecit ex *re*, prima syllaba vocabuli *reverendis*, quod P exhibet. Apparet vero librarium ignorantem *verenda*

1) *Etiamne* legitur ter IV 7; praeterea V 9; V 22; VII 32; in Reifferscheidii Indice non commemoratur. Strenue traditam memoriam defendit Stangl Berl. phil. Wochenschr. XXX (1910) col. 159.

2) Baehrens Beitr. zur latein. Syntax pag. 338 insertam illam praepositionem non commendat.

significare *αἰδοῖα* de suo addidisse *re*. Equidem ut quam proxime apices litterarum in codice exaratarum sequar, requiro: quidnam quaeso *in specie tali*, quid in pudendis fuit [re]*verendis*que Baubonis e. q. s.

Cf. VI 24 (235, 6) ut velut quadam *specie* obiecta his numinum abicerent asperitatem metu e. q. s.

V 28 (pag. 199, 24) interea dum Liber Stygem Cerberum Furias atque alias res omnis curiosa inquisitione conlustrat, ex viventium numero *index* decedit atque ex more sepelitur humano.

P exhibet: *index inde*, quod mihi quidem non dittographia sed haplographia videtur esse nam sinceram puto scripturam fuisse: index ⟨*ex*⟩*inde* decedit.

Adverbium *exinde*, quod in posteriore Latinitate frequenter usurpatur, restituit Löfstedt [1]) etiam Arnob. I 47 (31, 11) quanta sint enim haec vel eximietatis cuius, reperietur *exinde*, si traditum fuerit nobis e. q. s.

V 33 (204, 4) ac ne tamen videamur inspicere quale sit istud quod dicitur nolle, primum illud a vobis, si modo commodare patientiam vultis, exquirimus [*primum*] allegorico genere vel scripta haec esse vel eo demum modo intellegi oportere, unde est vobis cognitum vel unde intimatum?

Alterum *primum* Meursio praeeunte Reifferscheid delevit; fieri tamen potest ut ab Arnobio post enuntiatum conditionale consulto illud adverbium *ἐμφατικῶς* iteretur; certe si *exquírimùs prímum* teneamus, optima clausula servatur.

V 34 (pag. 204, 16) sed ut vobis adsentiamur in fabulis his omnibus cervas pro Iphigeniis dici, unde tamen vobis liquet, cum allegorias istas vel explanare ⟨*velitis*⟩ vel pandere, eadem vos interpretari eademque sentire quae sub cogitationibus ipsis ab historicis sensa sunt nec per voces proprias, significationibus sed aliis explicata?

Editor addidit *velitis*, sed restitue potius: cum allegorias ⟨*statuitis*⟩ istas vel explanáre vèl pánderè e. q. s., ut clausula bona relinquatur integra; insuper coniunctivus omnino necessarius non est.

---

1) Cf. Eran. X Patrist. Beitr. pag. 74.

V 35 (pag. 206, 5) quodsi pro his omnibus quod oporteat subici rerum immutatione monstratis, erit ut vobis adsensum super tali adseveratione tribuamus: sin autem singula *singulis* neque potestis *supponere* nec alterum ⟨*in sensum*⟩ rerum vocare contextum, quid allegoricis obscuritatibus *oneratis* id quod simpliciter scriptum est et communem ad intellegentiam publicatum?

Praeter necessitatem ter a codicis lectionibus editor recessit. Voci autem corruptae *honestis* substituendum non est *oneratis*, sed quod Hildebrandius invenit *hones⟨ta⟩tis*. Itaque edendum erit: sin autem singula *in* singulis neque potestis *opponere* nec *alterum* rerum vocare contextum, quid allegoricis obscuritatibus *hone⟨sta⟩tis* id quod e. q. s.

*Opponere* recte se habet, quod non solum clausula declarat, verum etiam sensus, cum revera interpretatio vulgaris fabularum opponatur figuratae sive allegoricae. Iam facile concedimus Orellio *alterum* positum esse pro: „*diversum*". Idem editor rursus immerito Sabaei coniecturam recepit: *allegoriis obscurátis honéstis*, quae verba falsam clausulam efficiunt. At cursum velocem [1]) nobis praebet Hildebrandii lectio: obscuritátibus honestátis. Verterim: als gij niet bij elk mythologisch verhaal afzonderlijk kunt aanduiden, welke fignurlijke opvatting er te plaatsen valt tegenover de alledaagsche, noch een gansch ander verband der dingen kunt aantoonen, waarom smukt gij dan met duistere allegorieën op datgene, wat op eenvoudige wijze geschreven en voor 't gewone verstand geopenbaard is?

V 44 (pag. 212, 15) ac ne de Iove solo loqui videamur voluisse, in amoribus numinum reliquorum esse allegoriae quae possunt, quae in mercennariis condicionibus ac servitutibus, quae in vinculis orbitatibus planctibus quae in cruciatibus vulneribus *sepulcris*?

Quamquam *sepulcris* bene quadrat in sententiam, edendum est *sepulturis*, quoniam P exhibet *sepultis*. Sic et optimam clausulam: *vulneribús sepùltúris* lucrabimur èt usum Arnobianum sequemur, cf. VI 6 (218, 10) quid quod multa ex his templa, quae tholis sunt aureis et sublimibus elata fastigiis, auctorum

1) Cf. quae observavimus supra ad IV 24.

conscriptionibus conprobatur contegere cineres atque ossa et functorum esse corporum *sepulturas*? VI 7 (219, 20) Sammonicus Granius Valerianus vobis et Fabius indicabunt, cuius Aulus fuerit filius, gentis et nationis cuius....... qnid de suis commeruerit civibus, ut ei sit abnegata telluris patriae *sepultura*. Praeivit Cicero de nat. deorum I § 119 Ab Euhemero autem et mortes et *sepulturae* demonstrantur deorum.

VI 2 (pag. 214, 18) ut enim noscatis, quid de isto nomine sentiamus iudiciique simus cuius, existimamus nos eos, si modo dii certi sunt, ut eadem rursus satiateque dicantur, cunctarum esse debere perfectarumque virtutum, sapientes iustos graves, si modo nulla est culpa, quod eos laudibus adcumulamus humanis, intestinis pollentes bonis, nec extraneis adminiculis *adicere* quo illis integritas inoffensae beatitudinis conpleatur e. q. s.

In P exaratum est *addicere*. Si ad clausulam hic quoque coniecturas exigimus, stare potest tantummodo ea, quam offert editio Leidensis curata a Salmasio: adminiculís ⟨*sĕ*⟩[1])*àddícerè*. Verterim: zij moeten hun macht ontleenen aan hun eigen voortreffelijke eigenschappen, maar zich niet verlaten op vreemden steun om te komen tot den hoogsten graad van volkomen gelukzaligheid.

VI 3 (pag. 216, 16) sint ergo haec (sc. templa) licet aut ex molibus marmoreis structa, *laquearibus* aut *renideant aureis* e.q.s.

Dubitari non potest quin hic Arnobio obversata sint verba Horatiana Carm. II 18, 1

Non ebur neque *aureum*
Mea *renidet* in domo *lacunar*.

Quem locum similem fugisse Orellium et Reifferscheidium vehementer miror.

VI 6 (pag. 218, 10) quid quod multa ex his templa, quae tholis sunt aureis et sublimibus elata fastigiis, auctorum conscriptionibus conprobatur contegere cineres atque ossa et functorum corporum sepulturas *esse*?

---

1) *Se* corripitur cf. Lorenz l.l. § 8 pag. 9.

Ita Reifferscheid edidit, at in codex *esse* legitur etiam inter *functorum* et *corporum*, qua de re clausulae ratione habita censeo edendum: et functorum *esse* corporúm sepùltúras [esse]? De voce sepulturae egi supra ad V 44.

VI 8 (pag. 220, 19) sin autem non creditis (sc. deos esse) aut, ut mediocriter dicatur, ambigitis, etiam sic ratio quaenam est dubiorum fingere atque instituere simulacra et quod esse non credas ventosa imitatione formari[1]? an numquid dicitis forte, praesentiam vobis quandam his numinum sub exhiberi simulacris, et quia deos videre non datum est *eos insolidi et* munia officiosa praestari?

Veri simillimum est sub *insolidi* latere *idolis*, quod verbum et Cyprianus et Firmicus Maternus crebro adhibet. Restituerim igitur: et quia deos videre non datum est *eis idolis* [*et*] munia officiosa praestari? Sententia haec est: Of beweert gij soms, dat door die godenbeelden min of meer de aanwezigheid (der goden n.l.) gewaarborgd wordt en dat, nu 't u niet mogelijk is de goden zelven te zien, aan die afgodsbeelden de verschuldigde eer bewezen wordt?

Ceterum de ipsa re conferas quaeso VI 13 (225, 16) usque adeo ludus est et puerilis adfectio sigillaria ista formare, adorare pro dis ea, sanctitatibus accumulare divinis, cum ipsos videamus artifices in effingendis his ludere et libidinum propriarum monumenta sancire.

VI 13 (pag. 224, 22) quis Praxitelen nescit, Posidippi si relegat..... ad formam Cratinae meretricis, quam infelix perdite diligebat, os Veneris Cnidiae sollertiarum coegisse certamine?

Equidem non in fine sed in principio enuntiati conditionalis lacunam significaverim, quam eadem opera supplebo: quis Praxitelen nescit, ⟨*opus*⟩ Posidippi si relegat e. q. s.

Cf. infra VI 22 (pag. 233, 14) consimili ratione Posidippus in eo *libro*, quem scriptum super Gnido indicat e. q. s.

Hanc quoque sententiam liceat mihi belgice interpretari: Wie weet niet, dat Praxiteles — als hij maar 't geschrift van Posi-

---

1) Sic edo cum P. Cf. quae infra dixi in cap. III de genere verbi.

dippus herleest – naar 't model van de hetaere Cratina, die hij hartstochtelijk liefhad, 't beeld van de Venus van Cnidus heeft gewrocht, terwijl hij al zijn talenten (bij de vervaardiging van 't kunstwerk) opriep?

VI 17 (pag. 229, 30) et quid in testulis dii petunt, ut eas sedibus sidereis anteponant? [*vinctione si* propemodum colligati *immobilitatis* testulas et cetera quibus signa confiunt]?

Talem constituit Reifferscheid textum! Equidem hariolari nolo, verum sine ulla mutatione verborum traditorum insertis modo iis quae necessaria videntur esse, puto me sententiam loci deprehendere:

et quid in testulis dii petunt, ut eas sedibus sidereis anteponant *vinctiones*, *ut* propemodum colligati *mobilitatis* ⟨*expertes induant se in*⟩ testulas et cetera quibus signa confiunt?

En wat zoeken de goden in steen, dat zij de verbinding daarmee stellen boven hun hemelsch verblijf, zoodat zij bijna geboeïd en beroofd van hun beweeglijkheid zich hullen in steen en alle andere stof, waaruit men beelden maakt?

VI 24 (pag. 235, 1) in parte hac eadem illud etiam dicere simulacrorum adsertores solent, non ignorasse antiquos nihil habere numinis signa neque ullum omnino inesse his sensum, sed propter indomitum atque inperitum vulgus, quae pars in populis atque in civitatibus maxima est, salutariter ea consilioque formasse, ut velut quadam specie obiecta his numinum abicerent asperitatem metu arbitratique praesentibus sese sub dis agere facta impia *deputarent* et ad humana officia transirent.

Löfstedt [1]), cuius iudicii maximi facere soleo, damnat *deputarent* coniciens *devitarent* invito rhythmo. *Impia deputarent* contra efficiunt clausulam quam dicunt tertiam: ditrochaeum dactylo antecedente [2]) Nisi omnia me fallunt *arbitrati* coniungendum est cum *deputarent*, ita ut hanc fere sententiam belgice acquiramus: opdat zij, wanneer als 't ware een verschijning der goden vóór hen zou staan, hun ruwheid zouden afleggen en

1) Eran. X pag. 19 sq.
2) Lorenz l.l. § 3 pag. 4.

dan tot de overtuiging en 't besef gekomen, dat zij hun zondige daden zouden verrichten vóór de oogen der goden, er toe zouden overgaan hun zeden te verbeteren en de plichten den mensch opgelegd te betrachten.

VII 4 (pag. 240, 10) quod enim voluptate dissolvitur, id contraria necesse est tristitia contrahatur, nec immune existere ab anxietate ⟨*potest*⟩ maeroris quod laetitia trepidat et levitatibus extollitur gaudiorum.

*Potest* insertum ab editore quantocius a textu removendum est, cum clausulam pulcherrimam *anxietáte maèróris* turbet. Idem verbum tamen per zeugma subauditur ex *necesse est.*

VII 27 (pag. 260, 30) ut enim vos debetis ostendere, cur thura diis detis, sic et deos sequitur ut debeatis expromere habere aliquam causam, cur ea non respuant, quinimmo cur ea tam *familiariter* concupiscant.

Certatim viri docti adverbium *familiariter* sollicitaverunt, nihilominus vox quam integerrima est, cf. Schol. Gronov. In Act. II in C. Verr. I § 54 (Stangl pag. 346) Hortensium praecipue videtur significare, qui huiusmodi signis et tabulis pictis *familiariter* delectabatur cet. [1]) Apertum est ergo supra quoque *familiariter* positum esse pro: *ardenter*, *summo cum studio.* Insuper bona clausula (ditrochaeo praemissus creticus) tuetur codicis lectionem.

VII 45 (pag. 279, 27) sin autem intenderat cernendum *se* dare — nec ⟨*enim*⟩ debuit oculorum negare ⟨*se*⟩ conspectui — cur non talem videri *se* praebuit, qualem sciebat *se* esse qualemque *se* noverat sui numinis in potentia contineri?

Duobus illis Reifferscheidii supplementis facile parenthesis carere potest, praecipue *se*, quod e prioribus sine ullo negotio subauditur, auctor de industria omisit, cum in tota periodo quater illud pronomen usurpet. Ceterum clausula metrica *negáre cònspéctuì* respuit insertum *se.*

---

1) Cf. Thesaur. Vol. VI fasc. II pag. 254.

De lapide illo, quem Pergamenus rex Pessinunte Romam miserat, primum scribit Arnob. VII 49 (283, 12) si verum locuntur historiae neque ullas inserunt rerum conscriptionibus falsitates, adlatum ex Phrygia nihil quidem aliud scribitur missum rege ab Attalo, nisi lapis quidam non magnus, ferri manu hominis sine ulla inpressione qui posset, coloris furvi atque atri, angellis prominentibus inaequalis e. q. s. deinde paulo infra sic pergit: VII 50 (pag. 283, 29) et quis hominum credet terra sumptum lapidem, sensu agitabilem nullo, fuliginei coloris atque atri... corporis, deum fuisse matrem?

*Atri* pertinere ad substantivum *coloris* e praecedentibus (283, 16 coloris furvi atque atri) manifestum est. Fortasse post *atque atri* librarius praetermisit adiectivum, quod Arnobius e Lucretio suo desumpsit nempe *triquetri* cf. de rer. nat. IV 652

esse minora (sc. foramina) igitur quaedam maioraque debent,
esse *triquetra* aliis, aliis quadrata necesse est,
multa rutunda, modis multis multangula quaedam.

Pomp. Mel. III 6, 50 iterum se in diversos angulos cuneat (sc. Britannia) *triquetra* et Siciliae maxime similis cet.

Ut tamen rhythmus apte cadat edendum videtur: fuliginei coloris atque atri ⟨*triquetrique*⟩ corporis, ita enim existit clausula, quae vocatur quarta [1]: ´–  ⏑  `–  ´–  ⏑  ´–  ⏑  –.

VII 50 (pag. 284, 6) sed si auxilio lapidis res facta est melior et felix reciperata victoria est, ubinam Mater Phrygia tempore illo fuit, cum tot tantisque exercitibus caesis inclinata est res summa et ad ultimae labis periculum venit? cur non minaci *hosti* se obtulit?

*Hosti* iniuria editor substituit codicis lectioni *forti*, subaudiri tamen illud *hosti* potest ex initio huius capitis 50: Hannibalem illum Poenum, *hostem* potentem ac validum. Habemus ergo asyndeton bimembre, cuius figurae unum modo praeclarissimum exemplum Arnobianum commemoro III 33 (134, 4) atque ita per vos ipsos *aboletur eraditur Semeleius Pythius.* Spindler [2]) permulta collegit. Unum Livianum affero XXII 60, 20 haberetis.. viginti milia armatorum *fortia fidelia.*

---

1) Cf. Lorenz l. l. pag. 2 et 5 (§ 4).

2) De Arnobii genere dicendi (Argentorati 1901) pag. 37 sq.

VII 50 (pag. 284, 11) cur impetus tantos belli non prius fregit ac reppulit quam immanes ac ..... inciderent plagae, quibus omnis effunderetur sanguis et exhaustis rueret vita ipsa paene vitalibus?

In lacuna, quam agnovit Reifferscheid, suppleverim *gravissimae* coll. II 77 (110, 24) *gravibus* [1]) atque *inmanibus* poenis. Positivus autem et superlativus iunguntur persaepe cf. I 63 (43, 25) ab *inmanibus* durissimisque latronibus cet. (vid. Ind. pag. 307).

---

1) E Parisini scriptura *segregavimus* rectissime Sabaeus elicuit *se gravibus*: cum plerique editionem principem secuti sint, Reifferscheidio placuit recipere *sat gravibus*.

# CAPUT III.

## Observationes grammaticae.

### De numero.

Arnobius aliquotiens poeticum genus dicendi affectans substantivo singulari utitur e. g. VII 3 (239, 22) aut si aliquod *viscus* aris fuerit traditum; VII 24 (257, 19) cum particula *visceris*; IV 26 (163, 19) Catamitus rapitur *delicium* futurus.

Non nisi raro abstractum pro nomine collectivo adhibetur I 7 (8, 22) mala quibus urgetur..... miseranda *mortalitas*; IV 36 (171, 1) mala quibus inundatur *mortalitas*.

Bis uno in capite II 62 neque Sabaeus neque Reifferscheid intellexit constructionem κατὰ σύνεσιν (97, 27): quod *Etruria* libris in Acheronticis *pollicentur* et (98, 12) *caedant* licet hostias quantaslibet *Etruria*, nam tradito plurali singularem substituit uterque editor, quamquam *Etruria* accipiendum est pro *Etrusci* [1]), cf. Liv. V 5, 10 ut eo reconcilient Etruriae animos.

Eiusdem fere generis est V 41 (210, 19) an..... *prolatio cupidinis atque irae* linguam et os *fuerant* obsceno *coinquinatura* [2]) contactu? Iam Schmalz vidit *coinquinatura* pluralem neutrius generis servandum esse cum codice.

Uno certe loco subiectum plurale neutrius generis singularem adsciscit III 9 (117, 12) sequitur ut *debeat* plena esse dis *omnia* [3]).

Nemo tamen miratur hunc rhetorem Siccensem praecipue pluralem adamare etiam abstractorum e. g. V 26 (198, 1) quibus sitis *eloquiis* tam periculosa negotia defensuri; quin nominum

---

1) Cf. Baehrens l.l. pag. 454.
2) Glott. V pag. 209.
3) Baehrens l.l. 485.

collectivorum pluralis invenitur IV 15 (152, 22) originem singulorum suis cum *prosapiis* monstrant. [1])

Iam vero pluralem clausulae gratia plus quam semel adhiberi nemo non perspicit IV 9 (148, 20) securum per opuléntiàs ótiùm; V 17 (189, 11) deum matris constituátur ìn sédibus.

Ceterum hac in re varietas, quae semper et ubique Arnobio in deliciis est, nonnunquam de industria quaeritur IV 4 (144, 6) sui nominis *vires* et mox (vs. 8) nominis sui *vim*, IV 36 (171, 1) sine ulla *intermissione* et (171, 5) sine ullis *intermissionibus*.

Notatu dignus est singularis *animal* ter appositus ad pluralem I 48 (32, 22) medici enim sic curant, *animal* humi natum nec confisum scientiae veritate; IV 16 (153, 11) quid in medio faciemus nos *animal* tenue? VI 16 (227, 21) itaque immemores et obliti, simulacrorum substantiae atque origines quae sint rationale homines *animal* e. q. s.

Hic neque Lactantius neque Hieronymus legem grammaticam migravit, cf. divin. inst. VI 17, 20 dixerim..... insanos qui hominem, mite ac sociale *animal*, orbant suo numine; Epist. 66 ad Pammach.: Plus debet Christi discipulus praestare quam mundi philosophus, gloriae *animal*, et popularis aurae atque rumorum venale mancipium.

## De casibus. [3])

Apud poetas nominativus haud raro partes agit vocativi, quem usum sequens auctor noster scripsit I 31 (20, 23) o maxime, o summe rerum invisibilium procreator, o ipse *invisus* et nullis umquam conprehense naturis e. q. s., ubi Gelenius edidit *invise* [4]).

*Maledicere* adsciscit accusativum II 45 (84, 15) tum deinde *se* omnes maledicerent. Hic habemus procul dubio Graecismum [5]).

*Plenus* non solum cum genetivo construitur e.g. I 25 (17, 1)

---

1) Baehrens l.l. 485.

2) Kühner-Stegmann I § 22 Anm. 4 pag. 80.

3) De genetivo inhaerentiae egi supra, vide cap. II.

4) Ceterum hic quoque ab auctore varietatem affectari recte observat Scharnagl, De Arnobii maioris latinitate (Progr. Görz 1895) pag. 20.

5) Cf. Hoppe De sermone Tertullianeo pag. 10; Rönsch l.l. pag. 440.

impietatis et sacrilegii *plena*; I 42 (28, 19) patrias leges vanitatis esse *plenissimas* atque inanissimae superstitionis ostendit cet., verum etiam cum ablativo IV 11 (150, 2) superstitionibus *plenissima* res tota est; VI 26 (237, 2) cum templa sint *plena* omnium simulacris deorum cet.

Interdum ablativus et genetivus qualitatis iunguntur II 29 (71, 26) cum sit inops, paupere lare et tugurii pauperis nec patriciae claritatis unquam meritus nuncupari; IV 13 (151, 13) iudicii acris viri atque ingenio perspicaci ...... explicuere cet.

Idem faciunt Cicero, Caesar alii [1].

Cum genetivis partitivis hisce I 30 (30, 27) innumeris hominum et IV 11 (150, 3) multas ... praedictionum conferri potest Ovid. Met. IV 631 hominum cunctos cet [2].

Genetivus partitivus satis insolitus legitur V 5 (177, 7) non ignobilem theologorum virum significans fere nobilissimum theologorum. Reifferscheid Ursino praeeunte praeter necessitatem mutavit *virum* in *unum*.

Genetivum materiae sive generis [3] offendimus V 28 (200, 3) ficorum ex arbore cf. Ovid. Met. I 111

flumina iam lactis, iam flumina nectaris ibant;

Terent. Phorm. 68 montis auri pollicens. Unum exemplum Livianum ipse affero V 44, 6 prope rivos aquarum.

E genetivis appositivis vel definitivis maxime afferendus est V 7 (179, 18) sub pini arbore, quocum comparo Augustin. Conf. VIII 12 sub quadam fici arbore [4].

Cognatus genetivus appositivus deprehenditur in codice VII 28 (262, 26) qui (sc. deus) caret *re corporis*, quem non agnoscens Reifferscheid mirabile dictu edidit *robore corporis*, attamen in sermone vulgari tritae sunt locutiones quales: res cibi, res voluptatum, res escarum cet [5].

Notabilem quoque genetivum appositivum offert I 46 (30, 17) post diem funeris tertium [6].

---

1) Cf. Kühner-Stegmann I 86, 2 pag. 456.
2) Schmalz § 73 Anm. 4 pag. 365.
3) Kühner-Stegmann I 84, 3 (pag. 429).
4) Schmalz § 69 (pag. 361) et Kühner-Stegmann I 83, 5 pag. 419 laudant Colum. V 11, 14 arbor fici.
5) Kühner-Stegmann I 83, 5 (pag. 419).
6) Schmalz § 69 Anm. 3 (pag. 362) affert similia.

Nusquam ne in Indice quidem editionis Vindobonensis inveni genetivum adscitum *notandi* verbo IV 22 (159, 15) cuius eum *notetis* [1]) probri?

Restat ut agamus de VII 25 (258, 22) in hoc enim diutius loco huic causae vel maxime necessario inmoramur insistimus inhaeremus, cupientes addiscere, quid cum pultibus deo sit, quid cum libis, quid diversis cum fartibus, *confectis* iure ex multiplici atque inpensarum varietate conditis.

Ecquis credere potest genetivum *confectionis*, quem codex praebet quemque editor mutavit in *confectis*, excogitatum esse a librario? Ceterum *confectio* videtur positum esse sensu concreto [2]) pro eo, quod est diligenter mixtum coctumque. Itaque verterim ultima verba sic fere: daar wij willen vernemen, wat een god heeft uit te staan met al die brij en koeken, met die verschillende soorten van worst [3]), toebereid met de pikante saus van een fijnen schotel en met velerlei ingredienten gekruid.

## De praepositionibus.

Legimus VII 19 (231, 5) numquid esse ut dixi decem omnibus in millibus (sc. simulacris) potis est unus (sc. deus) únŏ *ìn* témporè?

Hic clausulae gratia praepositionem *in* additam esse unusquisque videt, praesertim cum in eodem capite inveniatur (231, 15) posse unum in omnibus *uno* tempore permanere. Verum sicut Terentius metro non cogente scripsit Andr. 819

sequar hos: me nolo *in* tempore hoc videat senex,

ita mera libidine variandi Arnobius ponit IV 29 (165, 11) hoc *in* loco, quod redit IV 37 (171, 21), sed V 10 (183, 1) hoc loco.

In universum autem statuere possumus apud Arnobium praepositiones *in*, *de*, *ex* saepe abundare comitantes ablativum instrumenti causae modi, e. g. VI 22 (233, 6) perdocent (sc. di) aspernari se illa (sc. simulacra) in quibus spretos se ultione *in* aliqua significare non curant; II 59 (95, 17) herbarum aut fruticum ...... tristia *in* odoribus semina [4]); V 41 (210, 6) per

1) Kühner-Stegmann I 86, 5 (pag. 464) et lexica laudant Gell. IV 12, 2.

2) Cf. Pallad. XI 17, 2 per quod (sc. linteum) *confectio* aestuabunda suspiret.

3) Cf. cap. praeced. 24 (257, 12) apexaones hirciae silicernia longavi.

4) Löfstedt (Eran. X pag. 12) affert septem eiusmodi locos bis *in* tuens contra Sabaeum et Reifferscheidium.

turpitudinem dicuntur res graves et castitate pollentia obscenis commemorantur *in* vocibus; III 4 (114, 17) sin autem a vobis appositas appellationes has habent, quemadmodum potuistis vocabula his dare, quos neque videratis aliquando neque quales aut qui essent *in* ulla cognitione noratis? Ut rem magis illustrem afferri liceat etiam Augustin. de civ. dei I 20 et in psalmo (78, 47) scriptum est: occidit vites eorum *in* grandine.

Ergo *in* retineo contra Ursinum I 39 venerabar..... nuper simulacra modo ex fornacibus prompta, *in* incudibus deos et *ex* malleis fabricatos.

Reliquum est ut idem munus traditae lectionis defendendae suscipiam contra Reifferscheidium edentem:

II 10 (pag. 54, 26) cum igitur comperti nihil habeatis et cogniti omniaque illa quae scribitis et librorum conprehenditis millibus credulitate [1]) adseveretis duce, quaenam haec est iudicatio tam iniusta, ut nostram derideatis fidem, *quamquam* vos habere conspicitis *nostram credulitatem* communem?

In codice vero exarata sunt: *quam* vos habere conspicitis nostra *in* credulitate communem, neque de pronomine relativo neque de praepositione dubitari potest. Cui fortasse exempla, quae supra attuli, nondum satisfecerunt, is animum attendat ad V 35 (206, 8) singula *in* singulis neque potestis opponere cet., quem locum iam tractavi.

Transeamus ad praepositiones *de* et *ex*. Quod modo statui de vi harum vocum, elucet ex hisce exemplis VI 14 (226, 15) discobinata (sc. simulacra) *de* limis..... runcinarum levigata *de* planis; V 21 (192, 26) fit ut et ipsa (sc. Proserpina) *de* semine fortissimi compleatur Iovis; I 2 (4, 24) madidari *ex* imbribus arva; III 21 (125, 28) corripiuntur dii morbis et vulnerari, vexari aliqua *ex* re possunt; I 45 (29, 27) cuius *ex* levi tactu stabant profluvia sanguinis; VII 9 (243, 28) ut alienum crimen meo luatur *e* sanguine cet.

Iunguntur *de* et *ex* plane eandem potestatem habentes V 12 (184, 24) etiamne fluore *de* sanguinis et *ex* genitalibus amputatis arbor mali enata est punici? Hic commemoranda est dictio *e more* II 21; I 27; I 53 cet., cum *de more* legatur VII 24 (257, 17) *more de solito* V 1 (174, 2) cet [2]).

1) *Credulitas* ut saepe i. e. quod *fides*.

2) Cf. *ex* industria et *de* industria.

Profecto iam minus mirabimur frequenter *exponere* dictum esse pro *deponere* e. g. II 63 (99, 4) *exponite* has curas IV 26 (163, 14) nomen virginitatis *exponere* cet. Minus etiam dubitanter concedemus Loefstedtio [1]) e codice revocandum esse III 41 (139, 8) nunc antiquorum sententias sequens (sc. Varro) Larvas esse dicit Lares, quasi quosdam genios *effunctorum* [animas, mortuorum]. Reifferscheid edidit *et functorum*, sed *exfuncto* [2]) pro *defuncto* habet C. I. L. III 3166[a]. Editor noster fortasse in errorem inductus est participio *functi*, quod apud Arnobium, qui *functio* plus quam semel adhibet sensu *mortis*, legitur praeditum vi *mortui*: VI 6 (218, 10) quid quod multa ex his templa ........ conprobatur contegere cineres atque ossa et *functorum* esse corporum sepulturas, quem locum iam supra attigimus. Idem participium eadem potestate ornatum occurrit etiam Prudent. Cath. V 133

Marcent suppliciis tartara mitibus
exultatque sui carceris otio
*functorum* populus, liber ab ignibus
nec fervent solito flumina sulphure.

His igitur observationibus ut pauca subiungamus de verbis simplicibus apud Arnobium res ipsa videtur hortari. Novimus verba simplicia et apud poetas et in sermone vulgari crebro usurpata esse pro compositis [3]). Legimus IV 16 (154, 16) aut tibi tu alienam dignitatem adsumis deae, quae de vertice procreatam mentiris te Iovis et rationem te esse mortalibus ineptissimis *suades* et II 60 (96, 19) pro comperto habere et cognito quidquid sibi esse *suasisset* e.q.s. Bis ergo *suadere* positum est pro *persuadere*. Recte ergo redarguit Löfstedt [4]) Meiserum, qui I 64 (45, 11) quam sc. immortalitatem vos habere confiditis humanis paucorum adseverationibus *suasi*-, pro *suasi* requisiverat *persuasi*.

Hac in re maxime memorabilis est locus, ubi simplex et compositum copulantur VII 38 (271, 4) si dii immortales nequeunt irasci neque ullis animorum adfectibus eorum *quatitur concuti*-

1) Eran. X pag. 14.
2) Löfstedt Beitr. zur Kenntn. d. spät. Latinit. pag. 72.
3) Kretschmer Zur griech. u. lat. Wortforsch. Glott. I pag. 328; Compernass Vulgaria, Glott. II pag. 125.
4) Eran. X pag. 8.

*turque* natura e. q. s. Ceterum varietatis alterum exemplum habemus II 16 (61, 7) et nos corporum coniugationibus nascimur et ex alvis *fundimur* [1]) atque emittimur matrum et IV 21 (158, 3) et quid Iovem miramur ex feminae *effusum* dictitare vos alvo e.q.s.

Equidem puto similem varietatem obtinere II 36 (77, 2) Plato ille divinus multa de deo digna nec communia sentiens multitudini in eo sermone ac libro *cui nomen Timaeus scribitur* deos dicit et mundum corruptibilis esse natura et III 16 (123, 6) quantas irarum flammas suffunderent, excitarent (sc. aselluli canes porci), si urbis conditor Romulus asinina staret in facie, si sanctus Pompilius in canina, si porcina sub specie nomen esset Catonis aut Marci Ciceronis *inscriptum*. At Lorenz [2]) illic quoque edere iubet *inscribitur* clausulae gratia; verum illic in media periodo post finem sententiae relativae, quae est instar parenthesis, minus severa lex regnat quam hic in fine periodi.

Quibus consideratis servabimus codicis lectionem IV 17 (155, 11) possumus haec eadem de Mercuriis, Solibus, immo de aliis omnibus, quorum numeros *tenditis* et multiplicatis, expromere — non audientes Stewechium, qui proposuit *extenditis*. Sic *tendebat* positum est pro *extendebat* Min. Fel. Octav. III 3 Ibi harenas extimas, velut sterneret ambulacro, perfundens lenis unda *tendebat*, ubi perperam nonnulli scripserunt *tondebant*.

## De positivo comparativo superlativo.

Qui animum attendit ad Arnob. I 22 (15, 13) in rebus *tristissimis* atque *laetis* et I 28 (18, 25) in civitatibus *maximis* atque in *potentioribus* populis, quae exempla desidero in longa serie a Reifferscheidio instructa (Ind. pag. 307) quique locos ab editore illic congestos omnes recenset, ei licet affirmare positivum comparativum superlativum saepe apud rhetorem nostrum inter se vix differre. [3])

---

1) Imitatus est Arnobius Verg. Aen. VIII 138 Mercurius.... quem candida Maia.... *fudit*.

2) L.l. pag. 36. Ceterum si quid mutare vellem ederem: cui nomen Timaeus [scribitur] cl. Tac. Ann. II 8 cui Drusianae (sc. fossae) nomen cet.

3) In universum conferri possunt Schmalz Stilist. 13—14 pag. 615—617; Kühner-Stegmann § 225 Anm. 6—8 pag. 464 sq.; Wölfflin Lat. u. roman. Compar. De eadem re agens Baehrens (Glott. V 93 sq.) affert exempla

Itaque intellegimus pronomen *quisque* iungi etiam cum *positivo* velut III 11 (119, 11) *nova quaeque* cf. Tertull. scorp. 5 licebit et deo in vitam aeternam per ignes et gladios et *acerba quaeque* curare.

Neque offendi possumus pleonasmis quales sunt: I 29 (19, 24) magis rectius; I 58 (39, 10) magis fortior; IV 30 (165, 30) magis ignominiosius.

Quocirca retineo etiam *potius magis*, quod invenitur II 55 (91, 4) si intellectus nobis adfuerit dei regis ac principis nec per impias vagari suspicionum voluerimus insanias, respondeamus necesse est, nescire nos ista nec quae nullis possent facultatibus comprehendi expetisse aliquando aut studuisse cognoscere: *melius*que ducetis, quinimmo *potius magis* in inscientiae finibus atque ignorantiae permanere quam nisi dei dicere nihil fieri per voluntatem. Hic Reifferscheid ausus est edere: quinimmo *optimum, magis* in e. q. s. *Potius magis* maiorem vim habet quam *melius*: valet idem fere quod: *potius multoque praestantius* (VII 45, 280, 4). Ceterum conferendus est Tertull. de carn. resurr. 45 *magis* illud *prius* [1]) est cet.

Item servandus est comparativus *minus* VII 18 (252, 11) si enim honoris et reverentiae causa mactantur dis hostiae, quid refert aut interest, cuius animalis e capite luatur hoc debitum, cuius ira offensioque ponatur? an numquid alterius alteri *minus* gratior et iucundior sanguis est, alteri vero alterius voluptatem infundit et gaudium?

Editor adverbio tradito substituit *animantis*, at Meiser [2]) sic iudicat: *minus* ist verderbt für *magis*, das öfter beim Komparativ steht! Sed *minus* quam verissimum esse declarant duo exempla, quae Kühner—Stegmann quoque l. l. affert Ovid. Fast. I 525

urite victrices Neptunia Pergama flammae:
num *minus* hic toto est *altior* orbe cinis?

---

Plautina atque Tulliana, ad quae hic addo Rud. 1301 ita quanto *magis* extergeo, *rutilum* atque *tenuius* fit; ad Attic. X 8, 6 *florentissimus ac novus*; XI, 1, 1 temporibus *miseris* et *extremis*; XVI 16 C 12 effice, ut Plancus, quem spero *optimum* esse, sit etiam *melior*; pro Marc. § 33 *maximas* tibi omnes gratias agimus, C. Caesar, *maiores* etiam habemus.

1) Cf. Hoppe, l.l. pag. 49, qui vir doctus tamen errat contendens in cod. exaratum esse *mavis*: F exhibet *maius* (pro *magis*) cf. Kroymann pag. 91.

2) Studien zu Arnobius (Sitzungsber. d. Bayer. Akad. 1908) pag. 36.

et Flor. II 13, 47 sed nec *minus admirabilior* illius exitus belli. quippe cum Pompeius adeo equitum copia abundaret ut facile circumventurus sibi Caesarem videretur, circumventus ipse est.

Transeamus ad locum difficiliorem:

VII 30 (pag. 264, 5) sed quid facere possumus considerare nolentibus penitus res ipsas secumque ipsos loqui? facitis enim quod fieri cernitis, non quod fieri oportere confiditis: *primum* quia apud vos valet nullam habens consuetudo rationem *quam* rerum inspecta natura veritatis examinatione ponderata.

Verba dedi secundum codicem, nam pro *primum* e coniectura Reifferscheid scripsit *plurimum*, Gelenius autem *nimirum*, at Orellius edidit; *nimirum* quia apud vos ⟨*plus*⟩ valet e. q. s. Arnobius certe non *plurimum.... valet* posuit, sed id quod magnam emphasim habet *primum .. valet. Plurimum* enim hic illic idem fere significare quod *multum* cum alii loci probare possunt tum hi: Ovid. Fast. I 212

Et, cum possideant *plurima, plura* petunt.

Idem poeta in carmine mordacissimo, cui titulus Ibis, haec optat vs. 120

Qui mala cum tuleris *plurima, plura* feras.

Martialis quoque acute dicit X 11, 8

Qui donat quamvis *plurima, plura* negat.

Quin etiam reperimus Apul. de mund. VII (Thom. 143, 16) sed ipsam Aegyptum *plerique* Asiae, *plures* Africae adiungunt. Ceterum ipse superlativus *primum* nostro loco fungitur vice comparativi (= *prius* vel *plus*), quoniam mox sequitur: *valet.... quam* [1]). Fere rei similis ipse Arnobius luculentissimum exemplum praebet II 48 (85, 28) *omni vero verissimum est certoque certissimum.*

In posteriore latinitate saepissime ante *quam* mente supplendum esse *magis* vel *potius* omnibus lippis et tonsoribus notum est. Affero duo tantum exempla Arnobiana VI 7 (220, 5) nec erubuit civitas maxima et numinum cunctorum cultrix, cum vocabulum templo daret, ex Oli capite Capitolium *quam* ex nomine Iovio nuncupare et I 57 (39, 3) ante milia enim annorum decem non potuerunt falsa et audiri et credi aut non simillimum veri est,

1) Schmalz Glott. V 184 sq. agens de Pallad. 2, 13, 5 at maxime utile solum est quod inter omnes nimietates temperamentum tenebit et raro *proximum quam* denso fuerit- sumit *proximum* pro *magis proximum*.

fidem vicinis et finitimis *quam* spatiorum inesse longinquitate distantibus? [1])

Ad augendam vim superlativi Arnobius utitur et adverbio *satis* II 36 (77, 20) gradibus *satis* plurimis ab imperatore diiunctum, quod fecit etiam Ammianus Marcellinus, velut XVI 12, 54 *satis* prosperrime.

Notatu digna est forma superlativi V 7 (180, 12) *minimissimus*, quacum conferas Tertull. apol. 19 *extremissimi* de cult. fem. II 1 *postremissimus* [2]); Senec. Ep. 108, 16 *proximiorem* Min. Fel. Octav. 19, 2 *proximius* cet.

### De pronomine possessivo.

Adiectivum *proprius* non raro partes agit pronominis possessivi *suus* velut VI 25 (236, 13) Anubis canina cum facie aut genitalibus *propriis* inferior Priapus; VII 42 (275, 2) est ut ignoscere debeamus Iovi indignanti se spretum nec circensibus *propriis* sollicitiorem adhibitam curam.

Rursus *proprius* potestatem suam saepe concedit adiectivo, quod est *intestinus* e. g. I 20 (14, 18) quinimmo si verum est ardere illos ira, permittite illis potestatem sui, defendant se ipsi atque in ultionem maiestatis offensae *intestinas* exerant experianturque virtutes. Hoc exemplum legitur in Indice editionis nostrae iuxta quinque alia, septimum autem fugit editorem nempe II 33 (74, 29) vos vestrarum animarum salutem in ipsis vobis reponitis fierique vos deos vestro fiditis *intestinoque* conatu.

### De pronominibus demonstrativis et determinativis.

Arnobius persaepe non observat illud discrimen, quo pronomen demonstrativum, quod ad secundam personam spectat, diligenter distinguitur ab eis pronominibus demonstrativis, quae ad primam personam et tertiam pertinent, e. g. I 27 (17, 28) nihil sumus aliud Christiani nisi magistro Christo summi regis ac principis veneratores; nihil, si consideres, aliud invenies in *ista* religione versari. Itaque *ista* positum est pro *hac* vel *nostra* [3]). Contra

---

1) Cf. Rönsch It. pag. 442; Schmalz Berl. phil. Woch. (20 Juni 1914) col. 799.
2) Cf. Hoppe l. l. pag. 50.
3) Cf. Apul. Met. VI 22 *istud* pectus meum.

secundum usum optimorum auctorum legimus II 51 *ista* vestra qua fiditis pro ignoratione est habenda suspicio. Hic praetereunda non est memorabilis varietas VII 16 (250, 18) quid in *illis* maioris est operis aut sollertiae in *his* minus, ut *ista* non augeant, superorum *illa* amplificent dignitatem?

Ex usu Ciceroniano dictum est I 63 (44, 9) unica *illa* benignitate, ubi sermo est de Christo; e contrario *iste* pertinet ad Deum III 24 (128, 24) ludimus et lascivimus tanta in re homines, et qui sit deus obliti, quid *istius* [1]) magnificentia nominis e.q.s. quod eo notabilius est, quia in sententia proxime antecedenti *istud* spectat ad adversarium.

Extat unus locus, qui luculentissime docet *idem* et *ipse* interdum prorsus nihil differre: IV 22 (158, 23) ex Alcmena et *eodem* Hercules ille Thebanus, quem clava pellisque tutata sunt: ex Semela atque *ipso* Liber, qui Bromius dicitur et ex femine iterum natus patris: ex *ipso* rursus et Maia Mercurius ore facundus et gestator adfabilium colubrarum.

Eadem libertas invenitur iam apud Minuc. Fel. I 4 Sic solus in amoribus conscius, *ipse* socius (sc. Octavius) in erroribus cet.

## De pronomine relativo.

Arnobius scripsit IV 5 (144, 22) dii laevi, deae laevae sinistrarum tantum regionum sunt praesides et inimici partium dexterarum. *quod* quanam *istud* ratione dicatur quove animi sensu, neque ipsi nos adsequimur e. q. s. Alia huiusmodi exempla praebet Index pag. 339, velut II 31 (74, 6) *quod istud* ut fiat, medietatis efficitur lege; IV 5 (145, 10) *quae* tamen *haec* ipsa, quae laeva appellamus et dextera cet. Discimus ergo vim *pronominis relativi* auctam esse *demonstrativo*. Quamobrem non audimus Gelenium delentem *id* VII 30 (264, 16) itane istud non nefas et plenum sacrilegii crimen est, honori [2]) hoc (sc. vinum) dare, quod si tu *id* avidius sumpseris, quid facias nescias, quid loquaris, ignores.

---

1) Cf. Apul. Florid. 22 (de Diogene) philosophus *iste* Hercules fuit. Recte Schmalz (pag. 621) *iste*.... findet so bei den Afrikanern, bei denen es Lieblingswort ist, auch bei Lactant. schrankenlose Verwendung. Cf. quae dixi supra ad I 62 (cap. I).

2) P habet *honoris*, unde Reifferscheid efficit honori⟨*dis*⟩, sed *honori* iam sufficit.

Hunc usum haud dubie proprium sermonis plebeii deprehendimus iam apud Plautum, qua de re Lindsay [1]) docet: The Relative is occasionely strengthened by the addition of *is*, *ille* e. g. Trin. 1023 quorum *eorum* unus surrupuit currenti cursori solum cet.

Praeterea fieri potest ut Graecorum exemplum rhetor Siccensis imitatus sit, cf. Marc. I 7 cuius non sum dignus procumbens solvere corrigiam calciamentorum *eius* [2]) i. e. οὗ οὐκ εἰμὶ ἱκανὸς κύψας λῦσαι τὸν ἱμάντα τῶν ὑποδημάτων αὐτοῦ.

Accedit quod omnino in posteriore latinitate [3]) pronomina accumulantur et abundanter ponuntur. Quam ob causam equidem mutare non audeo VI 8 (220, 7) satis igitur ut opinor ostendimus templa diis immortalibus aut inaniter *iis* esse constructa aut contra decus et potentiam creditam contumeliosis opinationibus fabricata. Reifferscheid vero Gelenio praeeunte delevit *iis*.

Conferri possunt similes abundantiae e. g. I 42 (28, 29) qui sine ulla vi carminum, sine herbarum et graminum sucis, sine *ulla aliqua* observatione sollicita sacrorum libaminum temporum (sc. consimile aliquid fecerit); VII 33 (266, 13) ludi vero, quos facitis, quibus Floralibus et Megalensiis nomen est *ceterique omnes alii* quos esse sacros voluistis cet.

Quia Index editionis Vindobonensis tacet de possessivo [4]) *cuius cuia cuium* pertinenti ad genetivum pronominis interrogativi et relativi, hic certe hoc exemplum afferendum est I 30 (20, 9) nonne cogitatio vos subit considerare, disquirere, in *cuia* possessione versemini, *cuia* in re sitis, cuius ista sit quam fatigatis terra, cuius aer iste quem vitali reciprocatis spiritu, cuius abutamini fontibus, cuius liquore, quis ventorum disposuerit flamina?

## De numero distributivo *trini*.

Numeralia apud Arnobium nihil memoratu dignum habent nisi quod notabilis inconstantia extat inter cardinale *tres* et

---

1) Syntax of Plautus pag. 42.
2) Rönsch It. u. Vulg. pag. 444.
3) Schmalz Stilist. § 63 pag. 671 sq.
4) Cf. Lindsay The Latin Language pag. 443 sq.

distributivum *trini* e. g. II 56 (92, 19) et cum ex istis opinionibus *trinis* unam esse necesse sit veram; II 71 (106, 5) ab Iove et Pico quot sunt generis usque ad Latinum gradus? *trini*, ut indicat series; III 32 (133, 15) *trina* pariter numina vobis interpretibus nulla sunt. Mox autem legimus III 33 (133, 24) qua rursus in parte *trium* capita numinum tollitis; III 33 (133, 28) Liberum Apollinem Solem unum esse contenditis numen vocabulis amplificatum *tribus*; III 34 (134, 6) non indocti apud vos viri neque quod induxerit libido garrientes Dianam Cererem Lunam caput esse unius deae triviali germanitate pronuntiant neque ut sunt *trinae* dissimilitudines nominum, personarum dissidentias *tres* esse.

Quam varietatem non modo poetae diligunt, verum etiam Tacitus e. g. Hist. I 2 *trina* bella civilia; III 82 *trinis* praesidiis cet. Cf. Heraeus ad Hist. I 2.

Induit autem *trini* significationem *triplicis* III 13 (120, 23) subactionibus ciborum dentes *trini* generis atque in officia *trina* compositos.

Forma *tris* occurrit IV 37 (136, 3) Ephorus has (sc. Musas) igitur numero esse *tris* effert.

## De verbo.

### *De infinitivo et accusativo cum infinitivo.*

Verba sequentia apud Arnobium admittunt infinitivum:

*Succedere* cf. I 2 (4, 23) numquid suas animas expiraverunt venti emortuisque flaminibus neque caelum coactatur [1]) in nubila nec madidari ex imbribus arva *succedunt*?

*Succedunt*, quod multi sollicitaverunt, tuetur clausula optima, videtur autem valere idem fere quod *queunt* (fere réussir).

*Succumbere* cf. I 62 (43, 5) mors illa quam dicitis adsumpti hominis fuit, non ipsius, gestaminis non gestantis, quam nec ipsam perpeti *succubuisset* iste [2]), tanta si non agenda res esset. *Succubuisset* ad analogiam verbi *velle* infinitivum adsciscit

*Attribuere* cf. I 29 (20, 2) mundus iste in quo degitis, cuius

---

1) Ita scribo cum Reifferscheidio pro tradito *coartatur*, commotus loco simili II 37 (78, 10) ventorum flamina conticescent nec ex *coactis* et pendentibns nubilis ad terram decident imbres ariditatibus temperamenta laturi? 2) De hoc loco supra egi (in cap. I).

est aut quis eius vobis *attribuit* fructum possessionemque retinere? Hoc verbum ergo construitur sicut *permittere.* [1])

*Amare* cf. I 27 (18, 5) *amet* substerni tot milium venerationem videre; VII 25 (259, 3) quod si omnes has partes quas prosicias dicitis accipere dii *amant* cet.

*Quaerere* cf. III 42 (140, 1) omnis enim qui *quaerit* alicuius numinis impetrare responsum e. q. s.; 274, 21; 275, 23 cet.

*Metuere* cf. V 31 (202, 9) aut genus ullum est probri tam communi existimatione damnabile quod in eos conferre *metueritis*?

*Extimescere* cf. I 8 (9, 19) nec vir prudens *extimuit* humani generis subversionem cladem ruinas interitus funera rerum innovationem vocare.

Vix est quod moneam *metuere* et *extimescere* posita esse sensu *dubitandi.*

*Est* cf. IV 13 (150, 19) unde vobis *est* scire an sit unus aliquis qui succedat pro omnibus? Cf. Tac. Germ. 5 *est* videre apud illos argentea vasa e. q. s.

*Convenit* [2]) infinitivum adsciscit vices gerentem subiecti: VII 25 (258, 26) opiparis numina cenis adficiuntur aut prandiis, ut innumeras conveniat excogitare his dapes? Verum post hoc verbum impersonale hic illic ponitur *ut*, quin etiam admittit interdum coniunctivum et infinitivum in eadem periodo e. g. II 67 (102, 7) itaque cum nobis intenditis aversionem a religione priorum, causam *convenit ut* inspiciatis non factum, nec quid reliquerimus *opponere,* sed secuti quid simus potissimum *contueri.*

Ad analogiam huius verbi construitur *conveniens est,* nempe cum infinitivo VII 43 (276, 5) nonne fuerat pronius et deo *conveniens*, mentem hominis *vertere* et parendi *subigere* [3]) voluntatem quam vias adgredi saeviores et latrocinii ritu sine ulla passim ratione saevire? — contra requirit *ut* VII 42 (275, 5) nonne fuerat rectum Iovique *conveniens ut* humanis ignosceret lapsibus et inprudentiae caecitatem veniali concessione donaret?

Si transimus ad accusativum cum infinitivo, similem inconstantiam animadvertemus:

---

1) Cf. Schmalz Synt. § 157 pag. 421; Kühner-Stegmann II § 185, 3 a pag. 230.

2) Accusativum cum inf. poscit IV 33 (168, 12) quod poenis omnibus *conveniebat* plecti cet.

3) Teneo codicis lectionem, at Reifferscheid cum Meursio edidit *subicere.*

*condignum est* adsciscit acc. c. inf. cf. II 18 (62, 20) quodsi haberent scientias animae, quas genus *scientias* [1]) habere divinum atque immortale *condignum est*;

*indignum est* vero requirit *ut* cf. VII 12 (246, 18) *indignum* enim primum est, *ut* illa vis numinum sublimitasque caelestium beneficia credatur sua habere venalia, prius sumere atque ita praestare.

Cum constructione *indignum est ut* conferenda sunt VII 43 (275, 25) nonne *rectius fuerat*, consulem *ut* ad ipsum veniret et VII 43 (276, 16) nonne ergo *praestantius*, quinimmo *aequius* fuerat, si hoc esse videbatur faciendum, *ut* ab ipso patre terror cohercitionis inciperet, apud quem causa tanti fuerat motus et *inoboeda* [2]) cessatio, quam in eius dolorem vim liberis *facere* et innoxias *urere* atque *abolere* personas?

*Necesse est* in una eademque periodo admittit coniunctivum et accusativum cum inf. cf. II 30 (72, 24) quod enim contiguum non est et ab legibus dissolutionis amotum est, licet amnibus ambiatur flammeis....... inlibatum *necesse est permaneat* et intactum neque ullum sensum mortiferae passionis *adsumere*. Merum infinitivum adsciscit VII 12 (247, 8) nonne iterum *necesse est* credi cet.

Verbum sentiendi *credere* apud Arnobium triplicem constructionem admittit, nam modo requirit accusativum cum infinitivo cf. VII 12 (247, 8) nonne iterum necesse est *credi*, si praemiis sollicitantur ut prosint, *eos* (sc. deos) partes inter utrasque *debere* haesitare? — modo *ut* cf. VII 12 (246, 27) nonne erit consequens, ut debeat *credi*, si modo nihil numina nisi praemiis antecedentibus praestant, *ut* [3]) favorem suum commodent locupleti, avertant a pauperculo lumina, quem restrictum non animus sed familiaris rei necessitas fecit? — modo *quod* cf. VII 8 atquin ego rebar deos, si modo rectum est *credere quod* motibus

---

1) Hoc Sabaeus recte restituit pro tradita scriptura *sentias et*, at Reifferscheidio placuit edere *scilicet*.

2) Clausula bona tuetur vocem ceteroquin non obviam contra omnia tentamina; cf. Lorenz l.l. pag. 48.

3) Meiser et Kistner errabant putantes *ut* pendere ab: *erit consequens* cf. Löfstedt Eran. X 21, qui legentes relegat ad G. Mayeni librum c. t. de particulis *quod quia quoniam quomodo ut* pro accus. c. inf. post verba sentiendi et declarandi positis (Diss. Kiliae 1889).

exagitentur irarum, sine ullis praemiis nullisque mercedibus iras atque animos ponere et peccatoribus delicta donare.

Verbum sentiendi *accipere* poscit accusativum cum infinitivo II 36 (77, 15) *accipite* sero ac discite ab eo qui novit et protulit in medium Christo, non *esse* animas regis maximi filias nec ab eo..... generatas *coepisse* se nosse; — sed verbum declarandi *accipere* (= probare) postulat *ut* cf. III 13 (120, 19) quod si *accipiemus ut* verum sit, — quod redit III 29 (131, 10).

Iam vero exempla allata nos movent, ut cum Loefstedtio [1]) illud *ut* revocemus III 27 (129, 28) nam si amoris haec (sc. Venus) flammas, sicut perhibetis et creditis, cogitationibus subdit humanis, sequitur ut *intellegi* debeat, quicquid labis et criminis ab insania proficiscitur tali, ⟨*ut*⟩ Veneriis debeat vulneribus imputari.

In P exaratum est *talib*; quod quam nihil fere a *tali ut* differat neminem fugit; at Gelenius et Reifferscheid mutaverunt *debeat* in *debere*.

Memorabilis est accusativus cum infinitivo, quem unumquidque verborum sequentium adsciscit:

*facere* [2]) cf. I 16 (12, 25) si in civitate unaqualibet fame *plurimos emori* nostri nominis aversione *fecerunt* (sc. dei) e. q. s.

*efficere* cf. I 46 (31, 6) cuius (sc. Christi) nomen auditum.... adrogantium magorum *frustrari efficit actiones*.

*perficere* cf. IV 6 (146, 21) quae (sc. Perfica) obscenas illas et luteas *voluptates* ad exitum *perficit* dulcedine inoffensa *procedere*.

*relinquere* cf. VII 20 (253, 27) *relinquite* infelicissimas *pecudes* spoliatas licet ac tonsas caeli animam *ducere* et pastibus innocentissimas *incubare*. Hoc verbum ergo construitur ad analogiam verbi *sinere*.

*torquere* cf. I 26 (17, 13) et ipse dicetur deus (sc. Iuppiter) atque in ordine conputabitur numinum, qui aut summo servientibus regi crimen impietatis adfingit aut sibi *torquetur maiestatem* eius *cultum*que *praeponi*?

*inflammare* cf. VII 17 (251, 11) ita ergo non *despui* vestras *inflammaremini dignitates* e. q. s.

---

1) Cf. Eran. X pag. 21.

2) Cf. Schmalz Synt. § 168 pag. 431; Kühner-Stegmann I § 126 pag. 694 sub e.

*Torquere* igitur et *inflammare* construuntur sicuti verba affectuum.

*curare* cf. I 21 (15, 2) *lanitia curent* (sc. dei) vestra numerosis fetibus *multiplicari* [1]).

*praecipere* cf. I 45 (30, 1) unus fuit e nobis qui *claudos currere praecipiebat*; V 6 (178, 16) enititur (sc. regis filia) parvulum. sed *exponi* Sangarius *praecipit*. Apud posteriores ergo *praecipere* sequitur constructionem verbi *iubere* [2]).

Nihilominus coniunctivum traditum in P servandum esse iure censuit Schmalz [3]) II 46 (84, 16) sed procul haec abeat persuasio, ut deus..... aut aliquid fecerit claudum..... aut ulli rei fuerit miseriarum causa aut ipsos actus quibus vita transigitur et celebratur humana ordinaverit, iusserit et ab sua *flueret* constitutione *praeceperit*. Sabaeus, quem Reifferscheid secutus est, edidit *fluere*.

### De nominativo cum infinitivo.

Huius constructionis haec exempla refero:

VI 6 (218, 18) in templo rursus eiusdem (sc. Minervae) quod in arce Larisae ⟨est⟩ esse conditus *scribitur* [4]) atque *indicatur* Acrisius;

I 48 (32, 7) Christus enim *scitur* aut admota partibus debilitatis manu aut vocis simplicis iussione aures aperuisse surdorum;

III 16 (122, 28) inreligiosi esse *monstramini*;

IV 30 (166, 3) non enim qui sollicite relegit et inmaculatas hostias caedit, qui acervos turis dat concremandos igni, numina *consentiendus* est colere.

Iniuria autem Reifferscheid recepit *sentiuntur* et *recognoscuntur*, ubi codex praebet I 28 (19, 3) nobis solis sunt inimici, nobis asperrimi dii hostes, quia patrem veneramur illorum, per

---

1) *Curo ut* legitur e. g. VII 20 (253, 30) cur non omnia cetera, quae illorum inferre sacrificiis moris est, sint nigra et fumigata taetreque *ut* colorata *curatis*? *non curo* requirit infin. e. g. II 56 (92, 3) neque nosse contendimus *neque* inquirere aut vestigare *curamus*.

2) Cf. Schmalz Synt. § 167 pag. 430.

3) Cf. Glott. V pag. 205.

4) Recte igitur edidit Reifferscheid IV 33 (167, 27) [ad]*scribuntur* dii vestri in tricliniis caelestibus atque in chalcidicis aureis cenitare, potare — nam illud *ad* natum est ex praecedenti *infamat*.

quem, si sunt, esse et habere substantiam sui numinis maiestatisque coeperunt, a quo ipsam deitatem, ut ita dicam, sortiti esse sentiunt et in rerum numero recognoscunt.

Ipsa clausula: *numeró recògnóscunt* obstat quominus *recognoscuntur* probemus. Iam vero quod attinet ad *esse sentiunt* pro *esse se sentiunt*, non semel Arnobius *se* subiectum accusativi cum infinitivo omisit cf. II 50 (87, 10) vos humano in genere bonos esse dicatis viros, qui ut esse credantur, conparatio forsitan efficiat pessimorum. quinam isti sunt? dicite. philosophi, credo, qui [1]) *esse* solos sapientissimos autumant; I 6 (8, 13) quodsi omnes omnino qui homines *esse* [2]) non specie corporum sed rationis intellegunt potestate. Idem faciunt alii auctores cf. Sen. de brev. vitae X 9, 5 quemadmodum aut sermo aut lectio aut aliqua intentior cogitatio iter facientis decipit et *pervenisse* ante *sciunt* [3]) quam *adpropinquasse* —, ubi Hermes multa exempla eiusdem rei commemorat.

Lorenz [4]) nimis ῥυθμικὸς mea quidem sententia requisivit esse ⟨*se*⟩ sentiunt et in rerum numero ⟨*se*⟩ recognoscunt. Equidem dubito num solius rhythmi causa etiam in medio ambitu unumquodque comma nobis mutare liceat, quod alioquin sanum sit. Ceterum facile concedo ope clausulae additis aliis rationibus criticis textum perfrequenter in integrum restitutum esse.

Ut finem faciam disputandi de hoc loco ultima verba belgice vertam: en eerst wanneer zij de goddelijke natuur zelve om zoo te zeggen van hem ontvangen hebben, beseffen zij, dat zij bestaan en dat zij behooren tot de dingen der wereld.

Pergam notatu digna nominativi cum infinitivo exempla recensere [5]):

IV 33 (168, 4) *inducuntur* ex his (sc. deis) alii amatores,

---

1) P habet *quid*, at Reifferscheid edidit *qui quidem*.

2) Hoc exhibet codex, at editor inseruit *se*.

3) Hanc Ambrosiani scripturam defendi Mnemos. XXXXII (1914) pag. 390; in editione Tenbneriana legitur *sentiunt*.

4) De clausulis Arnobianis pag. 34.

5) Secundum ea, quae modo exposui delendum est hoc exemplum nomin. c. inf.: deitatem sortiti esse *sentiuntur* et..... *recognoscuntur*, quod Kühner-Stegmann affert I § 127 pag. 706.

adulteri castitatis nec cum feminis tantum sed cum viris etiam propudiosos flagitiososque miscere concubitus.

IV 35 (170, 12) nec non et illa proles Iovis Sophoclis in Trachiniis Hercules pestiferi tegminis circumretitus indagine miserabiles edere *inducitur* heiulatus e. q. s.

IV 35 (170, 15) quin et ille in fabulis maximus ipse regnator poli sine ulla nominis maiestatisque formidine adulterorum agere *introducitur* partes.

IV 35 (170, 6) gentis illa genetrix Martiae, regnatoris et populi procreatrix amans saltatur Venus et per adfectus omnes meretriciae vilitatis inpudica *exprimitur* imitatione bacchari.

IV 35 (170, 9) saltatur et Magna sacris compta cum infulis Mater et contra decus aetatis illa Pessinuntia Dindymene in bubulci unius amplexum flagitiosa *fingitur* adpetitione *gestire.*

Hoc loco ergo *fingitur* adsciscit infinitivum, at Cicero scribens de nat. deor. II 64 Saturnus autem est appellatus, quod saturaretur annis; ex se enim natos comesse *fingitur solitus* — secundum Kühner-Stegmann [1]) construit *fingitur* cum participio. Arnobius e contrario bis *induci* iungens cum infinitivo, ut supra ostendi, adhibet participium I 46 (30, 20) unus fuit e nobis qui cum unam emitteret vocem, ab diversis populis et dissona oratione loquentibus familiaribus verborum sonis et suo cuique *utens existimabatur* eloquio — ubi infinitivum exspectaveris.

## De varietate modorum.

Qui animum attendit ad Terent. Andr. 649 [2])

ah, nescis quantis in malis *vorser* miser,
quantasque hic consiliis suis *conflavit* sollicitudines

videt alteram interrogationem indirectam enuntiatam esse coniunctivo alteram indicativo. Eiusmodi varietas saepissime apud poetas et posteriores prosae orationis scriptores invenitur, etiam apud Boethium; cf. Consol. phil. IV 6, 106 non enim dissimile est miraculum nescienti, cur sanis corporibus his quidem dulcia illis vero amara *conveniant*, cur aegri etiam quidam lenibus quidam vero acribus *adiuvantur* [3]).

---

1) I § 127, 4 b pag. 705, ubi insuper laudatur Cic. ad Attic. IX 5, *finge* me haec ferentem. 2) Cf. Schmalz Synt. § 282 pag. 516 sq.

3) Bis male distinguens Peiper declaravit se non agnovisse duas interro-

Hanc libertatem Arnobius quoque sibi permisit I 27 (17, 22) nondum est locus ut explicemus, omnes isti qui nos damnant qui sint vel unde sint, quantum possint vel noverint, cur ad Christi *paveant* mentionem, discipulos cur eius inimicos *habent* et invisos.

*Habent* est codicis lectio, sed Reifferscheid recepit Sabaei coniecturam *habeant*. Hunc usum ter non agnoscens ter falso verba tradita immutavit editor aliorum auctoritate usus [1]).

Ceterum omnino Arnobius multus est in modis variatis e. g. IV 31 (166, 20) si in caerimoniis vestris rebusque divinis postilionibus locus est et piaculi dicitur contracta esse commissio, si per imprudentiae lapsum aut in verbo quispiam aut simpuvio deerrarit, aut si rursus in sollemnibus ludis curriculisque divinis commissum omnes statim in religiones clamatis sacras, si ludius *constitit* aut tibicen repente *conticuit* aut si patrimus ⟨et matrimus⟩ ille qui vocitatur puer omiserit per ignorantiam lorum aut terram tenere non *potuit*: audetis abnuere in delictis tam gravibus violari semper a vobis deos, cum in levioribus causis irasci eos ipsi cum pernicie saepius confiteamini civitatis? Iterum ter a codicis lectionibus editor recessit coniunctivum ponens pro indicativo (*constiterit*, *conticuerit*, *potuerit*), cum et clausula [2]) et proprietas posterioris latinitatis memoriam traditam tueatur. Addo

I 35 (23, 1) etenim si una religio *est* nobis vobisque communis, cessat ira caelestium: sin nobis infesti *sint* solis, manifestum est nescire et vos et illos deum.

Hic quoque varietas modorum servanda est (*est*-*sint*), at Reifferscheid cum Sabaeo recepit *sunt* [3]).

Editor recte de modis nihil mutavit IV 19 (156, 21) cum enim homines utrique [4]) et qui haec et illa commentati sunt

---

gationes indirectas cf. Engelbrecht Die Consol. philos. des Boethius (Sitzungsber. d. k. Akad. d. W. in Wien) Bd. 154 (1902) pag. 29.

1) Kistner (Arnob.) pag. 11 sq. enumerat locos quos dico.

2) Cf. Baehrens, Beitr. zur lat. Synt. pag. 526. A. Klotz rursus in editione (1915) Ciceronis orat. de harusp. resp. (in adnot. ad § 23 pag. 135) Arnobio obtrudere voluit *omisit* (pro *omiserit*)!

3) Cf. Stangl Berl. phil. Woch. XXX (22 Januar 1910) col. 125.

4) Sanam Parisini lectionem defendit Stangl (Berl. phil. Woch. XXX (1910) col. 158). Reifferscheid Rigaltii coniecturam recepit *utique*.

fuerint, et de rebus incertis ab utraque sit disputatum parte, adrogantis est dicere, id quod tibi *placeat* esse verum, quod vero animum *laedit* id libidinis et falsitatis arguere.

Cum hac modorum varietate in sententiis relativis conferas Terent. Andr. 271

Egon propter me illam decipi miseram sinam,
Quae mihi suom animum atque omnem vitam *credidit*
Quam ego animo egregie caram pro uxore *habuerim*? —

et Boeth. Philos. cons. I 5, 11 βχσιλεὺς qui frequentia civium non depulsione *laetetur* [1]), cuius agi frenis atque obtemperare iustitiae summa libertas *est*.

Nihil impediebat quominus in una eademque sententia relativa Arnobius varietatem adhiberet II 77 itidem et vos flammis exiliis cruciatibus beluis, quibus corpora *lancinatis* et *divexetis* nostra, non vitam eripitis nobis, sed pelliculis relevatis et cutibus nos nescii. Reifferscheid Gelenio praeeunte praetulit *divexatis*: at P exhibet per dittographiam *diu vexetis*.

Rursus merito nihil mutavit editor de modis variatis II 13 (58, 3) audetis ridere nos, quod patrem rerum ac dominum *veneramur* et *colimus* quodque illi *dedamus* et *permittamus* spes nostras? Debebat codicis auctoritatem sequi etiam in enuntiato causali hoc III 42 (139, 15) et est operosum nimis coacervare in unum multa, cum ex uno et ex altero manifestum *fiat* et *patet* haesitare, labare nec quicquam vos certi de his rebus quas adseritis dicere. Cum Sabaeo autem Reifferscheid traditae voci *patet* substituit *pateat*.

Indicativus post *cum* causale servavit codex III 42 (140, 1) omnis enim qui quaerit alicuius numinis impetrare responsum, debet necessario scire, cui supplicet, quem imploret, ..... maxime *cum* vos ipsi et non omnes omnia deos posse praestare et dissimillimis ritibus singulorum animos *refertis* offensionesque placari. Editoris lectionem *referatis* redarguit clausula [2]).

Apud Boethium quoque *cum* causale saepe indicativum adsciscit e. g. cons. phil. III 10, 67 quare neutrum poterit esse perfectum, cum alterutri alterum *deest* cet [3]).

---

1) De interpunctione cf. Engelbrecht l.l. pag. 29.
2) Cf. Baehrens l.l. pag. 526.
3) Cf. Engelbrecht l.l. pag. 33.

De modorum varietate apud Arnobium obvia iam satis disputatum videtur [1].

## De plusquamperfecto et temporum varietate [2].

Ovidius *fueram* utitur pro *eram* scribens Heroid. I 115

certe ego, quae *fueram* te discedente puella,
protinus ut venias, facta videbor anus;

sic apud Martialem *fueramus* positum est pro *eramus* XIII 46

Vilia maternis *fueramus* praecoqua ramis:
nunc in adoptivis Persica cara sumus.

Livius quoque saepissime plusquamperfectum verbi *esse* usurpat pro imperfecto e. g. XXI 3, 2 hunc vixdum puberem Hasdrubal litteris ad se accersierat, actaque res etiam in senatu *fuerat*.

Eundem usum invenimus apud Arnobium e. g. II 70 (104, 9) nam si verum est ex Saturno atque eius uxore Iovem suis cum fratribus procreatum, ante nuptias et partus Opis nusquam *fuerat* Iuppiter, Iuppiter tam supremus quam Stygius, nusquam sali dominus, nusquam Iuno, quinimmo alius nullus genitoribus duobus exceptis caeli *habitabat* in sedibus; IV 22 (159, 5) et quid regi Saturnio matrimoniis *fuerat* cum alienis rei? nonne illi *fuerat* satis Iuno, nec sedare impetum cupiditatum in regina *poterat* numinum cet.

Sed multo magis memorabile plusquamperfectum *potuissent* pro *possent* — id quod declarat mox sequens impf. *quirent* — reperitur I 33 (22, 2) ipsa denique hiscere si animantia muta

1) Cf. Kistner Arnob. pag. 10—12.

2) Priusquam de verbi temporibus incipiam disserere exempla *infinitivi historici*, qui apud scriptores prosae certe orationis posteriores intermortuus videtur, afferenda sunt Arnobiana: IV 34 (168, 9) per insanias, per furores *orbare* alii se et tamquam hostili de sanguine ita se proprio parricidio *cruentare*: sacrilegia vos illa miramini elata sublimiter, et quod poenis omnibus conveniebat plecti, ut animosius consurgat audacia, incentivo extollitis laudis. illi vulnera orbitatis *ingemere* et cum heiulatibus indecoris fata *incusare* crudelia; V 5 (177, 23) huic (sc. Agdesti) robur invictum et ferocitas animi fuerat intractabilis, insana et furialis libido et ex utroque sexu; vi rapta *divastare*, *disperdere*, immanitas quo animi duxerat; non deos *curare*, non homines nec praeter se quicquam potentius *credere* terras, caelum et sidera continere.

*potuissent*, si in linguarum nostrarum facilitatem solvi, immo si arbores glaebae saxa sensu animata vitali vocis sonitum *quirent* et verborum articulos integrare, ita non duce natura et magistra, non incorruptae simplicitatis fide et intellegerent esse deum et cunctorum dominum solum esse clamarent?

Plusquamperfectum traditum *potuissent* ab omni mutatione clausula vindicatur. Reifferscheid autem recepit Salmasii coniecturam *potis essent*. Contra amplector Vindobonensis textum I 14 (11, 28) quemadmodum enim res agi et usque ad hoc tempus genus *quis⟨set⟩* durare mortalium, si non omnia quae usus vitae posceret *subministraret* fertilitas rerum?

Hic codex praebet *quis*, unde Reifferscheid fecit *quisset*, Ursinus vero minus recte *quiret*.

Illi duo loci, quos modo tractavi, simul offerunt exempla varietatis temporum apud Arnobium obviae; extant multa alia e. g. VII 29, 1 (262, 27) merum thuris est socium, quod explanari consimiliter poscimus cur eius superfundatur incensioni. nisi enim ratio cur fiat *ostenditur* nec *habebit* expositam sui causam, non iam istud errori obiciendum est ludicro sed ut dicatur expressius insaniae dementiae caecitati. Quocum conferas quaeso Boeth. cons. phil. II 4, vs. 1.

Quisquis *volet* perennem
  cautus ponere sedem.....
et fluctibus minantem
  *curat* spernere pontum
montis cacumen alti
  bibulas vitet harenas; cet.

Itaque servanda est similis varietas futuri et praesentis III 26 (129, 10) non *commemorabimus* hoc loco deam Lavernam furum, Bellonas Discordias Furias et laeva illa quae constituitis numina taciturnitatis silentio *praeterimus* – ubi clausula tertia refutat editoris lectionem *praeteribimus*. Idem fere cadit in V 19 (190, 21) nec non et Cypriae Veneris abstrusa illa initia *praeterimus*: nam in toto hoc capite (V 19) respondent inter se: praetermittemus, praeterimus, donentur, desistimus [1]).

Equidem teneo imperfectum traditum, licet antecedat perfectum VII 46 (280, 29) quid aliud possumus quam generis eum

1) Hic quoque conferendus est Kistner Arnob. pag. 10—12.

(sc. colubrum sive Aesculapium) dicere fuisse terreni, quamvis *fuerit* inmanis et nimius, quamvis illum ab Regulo exercitus vi caesum longitudine corporis et robore *anteiret*? Reifferscheid edidit *anteierit* fortasse commotus severa consecutionis temporum lege, verum facile codicis lectionem tueri possumus loco Minuciano nempe Octav. 3, 6 is lusus *est* testam teretem iactatione fluctuum levigatam legere de litore, eam testam plano situ digitis conprehensam inclinem ipsum atque humilem quantum potest super undas inrotare, ut illud iaculum vel dorsum maris *raderet* . *enataret*, dum leni impetu labitur, vel summis fluctibus tonsis *emicaret emergeret*, dum adsiduo saltu sublevatur.

## De genere verbi.

Etiam in usu activi et passivi Arnobius adamat varietatem, quod illustrant haec exempla V 41 (210, 4) antea mos fuerat in allegorica dictione honestissimis sensibus *obumbrare*[1]) res turpes et foeda prolatu honestorum *convestirier* dignitate; VII 21 (254, 13) confundi haec (sc. animalia), inquit, fas non est nec piaculi parvi est officia rituum procurationumque miscere. causam, oro, edissere. quia generis certi hostias certis ius est *consecrare* numinibus certaque et supplicamenta *praestari*. et quae iterum causa est, ut generis certi hostias certis ius sit *consecrare* numinibus certaque et supplicamenta *praestari*? VII 15 (249, 25) quod est honoris genus, lignorum structibus incensis caelum fumo subtexere et effigies numinum nigrore offuscare ferali? quod si ea quae fiunt propria vi *pendere*, non ante sumptis placet opinionibus *aestimari*, arae istae quas dicitis altariaque haec pulchra infelicissimi animalium generis ustrinae, rogi sunt.

Hic ultimus locus monet ut *existimari* servemus etiam VI 3 (216, 27) ita non prima et maxima contumelia est, habitationibus deos *habere* districtos, tuguriola his *dare*, conclavia et cellulas *fabricari*[2]) et eis *existimari* necessarias res esse, quae

1) Cf. Stangl Berl. phil. Woch. XXX (1910) col. 126.

2) *Fabricari* passive adhibetur e. g. IV 16 (154, 20) ut arma quae gestas procudi possint et *fabricari* cet.; *fabricare* occurrit VI 1 (214, 6) consuestis crimen nobis maximum impietatis adfigere, quod.... non altaria *fabricemus*, non aras cet.

hominibus, felibus, quae sunt formiculis et lacertis? — Sic igitur respondent duo verba activa duobus passivis.

Quibus exemplis perpensis equidem teneo post duos infinitivos activi *formari* VI 8 (220, 15) si enim certum est apud vos deos esse..... quae causa, quae ratio est, ut simulacra ista fingantur a vobis, cum habeatis res certas, quibus preces possitis effundere et auxilium rebus in exigentibus postulare? sin autem non creditis aut, ut mediocriter dicatur, ambigitis, etiam sic ratio quaenam est dubiorum *fingere* atque *instituere* simulacra et quod esse non credas ventosa imitatione *formari*? — sine ullo enim negotio post *credas* infinitivus passivi defendi potest.

Reddenda est Arnobio forma activ. *calumniare* I 13 (11, 14) rogo, cum haec dicitis, non *calumniare* vos improbe in apertis conspicitis manifestisque mendaciis? Hic codicis scripturam verissimam esse censuerunt Rönsch [1]) et Stangl [2]).

Verum dissentio cum Stanglio [3]), qui codicem sequi iubet etiam II 25 (68, 20) (hic est ille.... mundus minor) qui nesciat homines et in mutis semper solitudinibus degat, *demoret* e. q s. Clausula enim tertia [4]) flagitat ut ponamus *demoret⟨ur⟩* in fine coli.

De partic. perf. pass. *suasi*, quod invenitur I 64 (45, 11) quam (sc. inmortalitatem) vos habere confiditis humanis paucorum adseverationibus *suasi* — iam egi [5]). Hic insuper comparandi sunt duo loci Apuleiani: Met. V 6 nequando sororum pernicioso consilio *suasa* (sc. Psyche) de forma mariti quaerat et IX 22 iam tibi ego probe *suasum* et confirmatum animi amatorem illum alacrem vadimonium sistam — quos desidero apud Roenschium.

Rursus facio cum Stanglio [6]), qui tuetur *abstinentur* III 14 (121, 6) an numquid caelestium corpora foeditatibus his carent, et quoniam cibis mortalibus *abstinentur*, edentulos eos esse parvolum credendum est ritu?

1) It. u. Vulg. pag. 297.
2) Berl. phil. Woch. XXX (1910) col. 126.
3) l.l. col. 127.
4) Molossus praemittitur ditrochaeo, cf. Lorenz l.l. § 3 pag. 4.
5) Cf. de praepositionibus (in fine: de verbis simplicibus).
6) Berl. phil. Woch. XXX (1910) col. 157.

Iterum clausula tertia defendit traditam lectionem, cui Reifferscheid aliique substituerunt *abstinent.* Conferenda praeterea sunt Cels. II 12, 2 D (Marx pag. 82) Pridie vero *abstineri* debet aeger, III 4, 4 (Marx 105) Itaque *abstinendus* a cibo primis diebus est, in luce habendus aeger, nisi infirmus, interdiu est, Senec. Epist. 75, 7 urendus, secandus, *abstinendus* sum.

## De interrogationibus.

Licet frequentes interrogationes reperiantur in Cic. oratione, quae inscribitur In Vatinium, quamvis multis sententiis interrogativis interdum utatur Livius (VI 17 § 3—5), tamen hac in re et hos et ceteros scriptores longe superat Arnobius, apud quem nonnulla capita ex solis interrogationibus constant (V 29; VII 9). Particula interrogativa quae rhetori nostro in deliciis est, est *numquid* (idem significans atque *num*), quod secundum Schmalzium [1]) quadragies sexies legitur in Arnobii opere: certe duodecies occurrit IV 24. Hanc particulam Seneca vicies fere usurpat (cf. Thyest. 804, 806, 810; de benef. II 15, 3; de ira II 28, 8; Epist. 117, 11; Apocol. 11 cet.), quem Martialis videtur imitatus esse.

Haud raro Arnobius posuit *an numquid* e. g. II 5 (51, 4); II 15 (76, 9); III 14 (121, 6); VI 8 (220, 22) *an numquid* dicitis forte cet.

## De adverbiis.

Adverbia sequentia in Reifferscheidii Indice non commemorantur:

*forsitam* VII 48 (282, 15) quod ratione cum aliqua et audiri *forsitam* potuisset et dici e. q. s. neque invenitur apud Roenschium pag. 457. Contra II 50 (87, 11) extat *forsitan.*

*passim* sensu *promiscue* [2]) legitur II 1 (47, 18) iniurias et contumelias *passim* sine ullius personae discriminibus inrogavit — ut apud Lactantium divin. inst. VII 7, 6 incredibilis est error illorum qui..... nec quid defendere debeant scientes nec quid refutare incursantque *passim* sine dilectu omnia quae adferunt quicumque dissentiunt.

---

1) Synt. pag. 518.
2) Cf. Stat. Theb. I 450 haec *passim* turbatis vocis amarae | confudere sonis.

*passim* significans *sine ratione* occurrit IV 34 (169, 2) ita ergo non decuit..... plebis scitis..... sancire ne quis vellet de dis *passim* nisi quod esset plenum religionis effari? VII 43 (276, 7) latrocinii ritu sine ulla *passim* ratione saevire; hanc quoque vim apud Lactantium *passim* induit e. g. divin. inst. III 9, 5 At ego hunc (sc. Anaxagoram) puto non invenientem quid responderet effudisse hoc *passim*, ne taceret.

*postremum* in posteriore latinitate saepius ponitur pro *ad postremum*; servandum est igitur III 10 (118, 6) quid ergo iam superest, nisi ut eos credamus inmundorum quadrupedum ritu in libidinum furias gestire, cupiditatibus rabidis ire in mutuas complexiones et *postremum* fractis dissolutisque corporibus voluptatis enervatione languescere? Reifferscheid edidit *ad postremum*, at Sabaeus et Orellius *postremum* [1]). Contra *ad postremum* reperitur V 10 (183, 12); V 21 (192, 10).

*nec (neque)..... saltem* idem est atque *ne..... quidem* cf. IV 7 (146, 27) *nec* ex ipsis *saltem* potestis nominibus noscere inanissimae superstitionis figmenta haec esse et falsorum imaginationes deorum? Legitur etiam IV 33 (168, 8); IV 34 (169, 6) [2]); VII 43 (276, 13).

## De negationibus.

Quanquam sanissima sunt haec verba I 49 (33, 17) hoc est enim proprium dei veri potentiaeque regalis, benignitatem suam negare nulli nec reputare, quis mereatur aut *minime*, tamen Reifferscheid in Praefat. pag. XVI pro *minime* proposuit *minus* [3]). Idem rursus tribus locis nempe IV 32 (167, 7) homines *minus* brutos; V 6 (178, 23) *minus* rectis adsentationibus; V 33 (204, 14) verbis *minus* verum significantibus – sinceram codicis lectionem *minus* mutavit in *minime* [4]). Ipse Reifferscheid servavit genuinam scripturam VII 34 (268, 17) ex *minus* laetis (sc. rebus) animorum contractione conduci; III 17 (124, 1) etiamsi quae sit *minus* possumus explicare; VII 42 (275, 13) si ludorum exhibitor magistratus *minus* curavit ediscere cet.

1) Cf. Stangl Berl. phil. Woch. XXX (1910) col. 160.

2) Sabaeus, qui edidit *ac... saltem*, refutatur a Schmalzio Glott. V 208.

3) Cf. Schmalz Stil. § 40 pag. 639: *vix minus minime* partes agunt particulae negativae; cf. etiam Stangl Pseudoascon. pag. 111.

4) Cf. Kistner Arnob. pag. 9.

Conferas quaeso Apul. Met. IX 23 *minus* credere; Liv. V 54, 3 etsi *minus*..... iuvat; Senec. Dial. VI 4, 4 quod *minus* aliterve factum velis; Lactant. divin. inst. VI 5, 5 virtutem esse dixit (sc. Cicero) scire quid sit bonum et malum, quid turpe, quid honestum, quid utile, quid *minus* cet.

Quam graviter erraverit Reifferscheid in delenda altera duarum negationum docuit Schmalz [1]), qua de causa satis habeo hic afferre VII 9 (244, 18) quis maleficia repperit aut commentatus est tanta, quanta *vix* explicari decem millibus *nequeant* vel annalium vel diurnorum, — ubi *vix* inservit potestati augendae verbi *nequeant*.

Hoc verbo *nequire* crebro utitur Arnobius e. g. I 45 (29, 22) nequibat; II 57 (93, 13) nequeant; III 35 (134, 25) nequit; VI 26 (237, 3) nequeat cet., tamen clausulae gratia ponitur V 9 (182, 18) rapere voluptatem insidiosa *fraude non quivit.*

Nec non et verisimile est in talibus exemplis, qualia sunt III 8 (116, 24) quod idem vos dicere religione in *vestra non quitis* — litteram longam *a* ablativi corripi, cum accentus cadat in syllabam antecedentem. Lorenz [2]) affert 75, 15 credulitate in *ista* videamur; 90, 1 corruptione *exclusa* largiri; 113, 24 de re loquimur *divina* vobiscum cet.

Huius libertatis ratione habita fortasse probare licet versum tertium, qui tantopere criticos peritissimos vexavit, illum V 26 (197, 16)

sic effata simul vestem contraxit ab imo
obiecitque oculis formatas inguinibus res:
quas *cavă* succutiens Baubo *manŭ* [3]) — nam puerilis
ollis vultus erat — plaudit, contrectat amice.

Cum *cava* et *manu*, quorum syllabae finales corripiuntur, conferendi sunt Epitaph. Alliae Potestatis vs. 14

Lana cui e manibus nuncquam sine *caussă* recessit

nec non et vs. 40

*aurŏ* tuum nomen fert ille refertque lacerto.

Ut revertamur ad verbum *nequire*, cum Parisino scribendum est V 25 (197, 8) et quod diu *necquivit* verecundia Baubonis exprimere propudiosi facinoris extorsit obscenitas. Reifferscheid dedit *nequivit.*

1) Glott. V pag. 206—208. 2) De clausul. Arnob. § 11 pag. 13 sq.
3) Cf. apud Plautum vidĕ, cavĕ (Iambenkürzungsgesetz).

## De coniunctionibus.

Saepissime Reifferscheid coniunctione *et* male intellecta textum traditum immutavit e. g. VI 12 (223, 16) itaque Hammon cum cornibus iam formatur et fingitur arietinis..... Venus nuda et aperta, tamquam si illam dicas publicare, divendere meritorii corporis formam, cum pilleo Vulcanus et malleo, manu liber sed dextera *et* fabrili expeditioni succinctus.

Nimirum dicit auctor: cum sinistra Vulcani manus occupata sit, dextera libera est et quidem parata ad opus quoddam inchoandum. Hic habemus ergo *et* explicativum, cui editor substituit *ut*.

Idem statuit Stangl [1]) de II 21 (64, 26) nunc quoniam imagini praeparavimus sedem, accipiamus deinceps mox aliquem natum *et* in loci illius hospitium, quod habeat rem nullam et sit inane ac vacuum, Platonica licet aut Pythagorea progenie aut horum alicuius, qui acuminis perhibentur fuisse divini aut ex deum responsis sapientissimi nuncupati.

Hic Reifferscheid post *natum et* lacunam signavit. Sed vehementius sollicitavit II 9 (54, 7) qui cunctarum rerum originem ignem esse dicit aut aquam, non Thaleti aut Heraclito credit?.... qui ignem minatur mundo, *et* venerit cum tempus, arsurum, non Panaetio Chrysippo Zenoni?

Rursus *et (quidem) arsurum* cet. accuratius significat, quando conflagratio illa orsura sit, neque igitur editori licuit *et venerit* mutare in *advenerit*.

VII 12 (246, 28) si ex duobus facientibus res sacras nocens unus *et* locuples, alter angusto lare sed innocentia fuerit et probitate laudabilis, centum ille caedat boves e. q. s.

Nonne *et* hoc loco valet idem atque *et simul*, *et insuper*? Praeterea clausula flagitat *et*, quod P exhibet, non *set*, quod in editione Vindobonensi legitur.

Praeter necessitatem Hildebrandii auctoritatem sequens scripsit Reifferscheid VII 4 (240, 19) postremo quod gaudium est innoxiorum animantium mactatione laetari, miserabilis saepe exaudire mugitus, rivos sanguinis cernere, animas cum cruore

---

1) Berl. phil. Woch. XXX (1910) col. 126.

fugientes patefactisque secretis *provolvier* intestina cum stercore et ex residuo spiritu exsultantia adhuc corda tremibundisque palpitantes in visceribus venas?

P vero praebet *provolvi et*, quod recte se habet, nam *et* positum est pro *etiam*: hoc enim ait Arnobius: deos videre sanguinem e victimis effluere, quin etiam viscera provolvi cum stercore quam turpe ést!

Merito Reifferscheid *et* servavit II 11 (55, 10) sed officiant haec (sc. bella quae pro suis sententiis sapientes cum adversantibus conserunt) nihil nihilque impediant, plurimum quominus eis credere atque auscultare debeatis: *et* quid est, quod in hac parte aut vos plurimum habeatis aut nos minus?

Hic manifesto *et* induit vim adversativam quandam [1]), ut saepe in interrogationibus, qua de re supra egi ad III 23, ubi octies illud *et* occurrit. Idem *et* non agnoscens editor recepit *at* IV 18 (156, 2) sed si mendaces illi, vos veritas quae sit exponite et inrefutabile aperite secretum. *et* [2]) qui fieri potis est remotis magisteriis litterarum?

Iterum peccavit scribens *set* pro *et* V 28 (199, 13) cum inter homines, inquiunt, esset adhuc Nysius et Semeleius Liber, nosse inferos expetivit et sub Tartari sedibus quidnam rerum ageretur inquirere: *et* cupiditas haec eius nonnullis difficultatibus inpediebatur, quod qua iret ac pergeret inscitia itineris nesciebat.

Vis adversativa traditae coniunctionis *et* [3]) (= sed, et tamen) augetur interpunctione.

Nonnunquam *sed* accipiendum fere esse pro *et quidem*, ita ut explicative adhibeatur, novimus ex Martial. I 117, 7

et scalis habito tribus *sed* altis.

Cf. etiam Apul. Metam. IV 31 vindictam tuae parenti, *sed* plenam tribue; Augustin. de civ. dei I 22 sana quippe ratio etiam exemplis anteponenda est, cui quidem et exempla concordant, *sed* illa, quae tanto digniora sunt imitatione, quanto excellentiora pietate; Peregrin. Aether. 7, 7 nunc est come, *sed* grandis, quod nos dicimus vicus cet.

---

1) Kühner-Stegmann § 151, 5; II pag. 6.

2) Cf. Stangl Berl. phil. Woch. XXX pag. 157.

3) Cf. Tac. Ann. I 38 reduxit in hiberna turbidos *et* nihil ausos cet. Cf. Kühner-Stegmann § 154, 6 II pag. 27 sq.; Schmalz Synt. § 236 pag. 494; Kistner Arnob. pag. 21 sq.

Hanc peculiarem significationem particulae *sed* invenimus etiam apud Arnobium e. g. IV 14 (152, 3) iam Mercurius primus..... supremi progenies Caeli est, sub terra est alter, Trophonius qui esse iactatur, Maia tertius matre et Iove procreatus *sed* tertio. Hoc exemplum non affertur in Reifferscheidii Indice, affertur autem VI 21 (232, 13) Dionysius ille *sed* iunior. Iam vero rectissime mea quidem sententia editor illud *sed* revocavit VI 23 (234, 15) ubi denique Apollo divinus, cum a piratis maritimisque praedonibus et spoliatus ita est et incensus, ut ex tot auri ponderibus quae infinita congesserant saecula ne unum quidem habuerit scripulum quo hirundinibus hospitium, Varro ut dicit *set* Menippeus, ostenderet? Hic P exhibet: *sethenipeus.*

## De coniunctione *ut.*

Varietatem Arnobio caram esse etiam in coniunctionum usu discimus ex his quinque exemplis I 16 (13, 5) cur *ut* bene sit obsto; I 16 (13, 6) cur nihil impedio *ut* sit feracitas; II 11 (55, 10) nihilque impediant, plurimum *quominus* eis credere..... debeatis; VII 10 (245, 12) tam enim praestare non possunt (sc. di vestri) id quod non potest fieri quam prohibere *ne* fiat id quod necesse est evenire; VII 25 (259, 5) quid intercedit, quid prohibet, *ut* non semel haec omnia totis cum animantibus inferatis?

Varietas quoque flagitat ut cum codice edamus II 46 (84, 25) minora haec illo (sc. deo) sunt et magnitudinis eius destruentia potestatem *tantumque est longe*, *ut* istarum auctor rerum esse credatur: in sacrilegae crimen inpietatis incurrat quisquis ab eo conceperit hominem esse prognatum.

Reifferscheid alterum *ut* inseruit post *credatur*, sed discimus *tantum est longe* idem valere atque *tantum abest* eandemque constructionem requirere ex iis, quae dilucide Schmalz exposuit Glott. V (1913) pag. 204 [1]). Unum igitur enuntiatum secundarium (*ut... credatur*) sufficit, verum *in sacrilegae crimen inpietatis incurrat* pro sententia primaria est habenda.

Notatu dignissima est iunctura *ut quoniam*, quae occurrit IV 30 (165, 27) illud nobis propositum est, *ut quoniam* nos impios

---

1) Ibidem hic locus germanice vertitur.

et inreligiosos vocatis, vos pios contra et deorum contenditis esse cultores, demonstrare atque in medio ponere, ab hominibus magis nullis ignominiosius eos tractari quam a vobis.

Reifferscheid delevit *ut*, verum Baehrens [1]) optimo iure tuetur hanc coniunctionem coll. Cyprian. Epist. 24 init. (536, 11 Hart.) Necessitas temporis facit ut non temere pacem demus. sed quoniam oportebat vobis scribere *ut quoniam* hi qui posteaquam sacrificaverunt iterato temptati extorres sunt facti: videntur ergo mihi abluisse prius delictum, dum possessiones et domos dimittunt et paenitentiam agentes Christum secuntur cet.

Insuper *ut* abundanter positum est in dictionibus: *ut quia* [2]), *ut dum* [3]) cet. Meminimus *ut quid* (= quid) legi Augustin. de civ. dei I 18; II 23; Confess. I 17 cet.

## De geminatione et asyndeto.

Apud Spindlerum [4]), qui diligentissimus alioquin est in illustrando Arnobii genere dicendi exemplis, desidero hanc geminationem V 12 (185, 7) o *Abdera*, *Abdera*, quantas vias mortalibus inridendi — ubi Kistner [5]) frustra requirit: o Abdera, ⟨o⟩ Abdera, neque magis repetitur interiectio V 29 (200, 17) quid dicitis o gentes, quid occupatae, quid deditae templorum venerationibus nationes?

Ceterum proferenda sunt haec geminationis exempla III 2 (112, 21) ad cultum divinitatis obeundum satis est nobis *deus primus*, *deus*, inquam, *primus*, pater rerum ac dominus; I 32 (21, 23) a nobis *procul*, *procul*, inquam, ut dicitur, averruncetur amentia; I 31 (20, 25) *dignus*, *dignus* es vere, si modo te

---

1) Beitr. z. lat. Synt. pag. 420.
2) Cf. Baehrens l. l. pag. 417.
3) Cf. Löfstedt Beitr. z. Kenntn. d. spät. Lat. pag. 33.
4) De Arnobii genere dicendi (Argentorati 1901). Quia Spindler pag. 23 pauca tantum exempla commemorat paronomasiae, figurae frequenter obviae addo V 39 (209, 2) se ab debito *Li*ber *li*beravit; III 27 (130, 8) *senes* in *obscenos* ingemunt curis iuvenalibus adpetitus; III 15 (122, 13) omnem scientiam *re*mini *re*rum vobis divinarum patere; II 70 (104, 26) in *nu*mero *nu*minum; I 63 (43, 25) *manus* in se porrigi ab *inmanibus* passa est; III 31 (133, 3) (Neptunus) tremebundi *motator* soli. *Mer*curius..... *mer*cium *commerci*orumque *mutator* cet.
5) Arnobian. pag. 39 sq.

dignum mortali dicendum est ore, cui spirans omnis intelligensque natura et habere et agere numquam desinat gratias; II 13 (57, 30) *vos*, *vos* appello qui Mercurium, qui Platonem Pythagoramque sectamini e. q. s.

Exempla figurae, quae vocatur asyndeton, plurima in Arnobii opere extant, e quibus Spindler [1]) facile centum attulit. Quam figuram Reifferscheid ipse quoque in Indice (pag. 347 sq.) multa exempla ponens veritus non est tollere I 48 (32, 4) illud solum audire desidero, an sine ullius adiunctione materiae id est medicaminis alicuius ad tactum morbos iusserit ab hominibus evolare, *imperaverit fecerit* et emori valetudinum causam et debilium corpora ad suas remeare naturas — immerito scribens *imperio aut fecerit*! Servandum quoque textum traditum I 34 (pag. 22, 22) ergo, si haec ita sunt, Iuppiter esse deus qui potest, cum illum esse perpetuum *constet*, *perhibeatur* alter a vobis et dies habuisse natales et pavefactus re nova lamentabilem extulisse vagitum? Hic editor inseruit *et* inter *constet* et *perhibeatur*.

Operae pretium est cum asyndeto II 61 (97, 5) quid est, inquit, vobis ⟨opus⟩ [2]) *investigare*, *conquirere*, quisnam hominem fecerit, animarum origo quae sit, quis malorum excogitaverit causas e. q. s. comparare Cic. In Verr. IV § 106 Quam (sc. Proserpinam) cum *investigare et conquirere* Ceres vellet, dicitur inflammasse taedas e. q. s. [3]).

---

1) l.l. pag. 37—42.

2) Iam dudum addidi hoc vocabulum sententia flagitatum.

3) In numero pleonasmorum Spindler (l.l. pag. 61) debuit referre II 21 (65, 1) accipiamus *deinceps mox* aliquem natum et in loci illius hospitium e. q. s., quocum conferas Augustin. de civ. dei I 30 Deleta Carthagine..... tanta mala subsecuta sunt, ut corrupta disruptaque concordia prius saevis cruentisque seditionibus, *deinde mox*.... bellis etiam civilibus tantae strages ederentur e. q. s.

Hic etiam affero VI 5 (218, 7) atque ita perficitur, ut aut nullis deus opituletur omnino.... aut exauditi *tantummodo uni* abeant *soli*, nihil egerint ceteri.

# INDEX.



## Loci qui pertinent ad artem criticam.

## Loci Similes.



## Loci quos ex parte verti.

## CORRIGENDA.

Lege: pag. 3 sub I 34 (pag. 22, 19 (non 22).

" " 26 sub VI 24 Löfstedt, cuius *iudicium* (non *iudicii*) e. q. s.

" " 37 adnot. *tibi* (non *tlbi*) omnes gratias agimus e. q. s.

Apud E. J. BRILL Lugduni-Batavorum (Leiden) prodierunt:

**Brakman J.f. (Dr. C.),** Ammianea et Annaeana (1909) *f* 0.60

—— Annaeana nova Velleiana, ad scriptores historiae Augustae, ad Panegyricos latinos (1910) . . . . . . . . . „ 0.60

—— Miscella (1912) . . . . . . . . . . . . . „ 0.90

—— Miscella altera (1913) . . . . . . . . . . „ 0.90

—— Arnobiana (1917) . . . . . . . . . . . . „ 1.50

**Hartman (Dr. J. J.),** De Ovidio poeta Commentatio. 8°. „ 1.75

—— Analecta Tacitea. 8°. . . . . . . . . . . . „ 4.20

—— Flos delibatus elegiae romanae. Tibulli versiculos venustissimos elegit recognoscit annotatiunculias instruxit, et praemissa de Tibullo poeta disputatione, adiectisque aliorum carminibus ad Tibullum pertinentibus illustravit. 8°. „ 1.25

—— De Plutarcho scriptore et philosopho. 8°. . . . „ 7.—

**Manilii (M.),** Astronomica. In het Nederlandsch vertaald door J. van Wageningen. 8° . . . . . . . . . . . . „ 2.25

**Smits (J. C. P.),** De geschiedschrijver Heriodanus en zijn bronnen. 8°. . . . . . . . . . . . . . . .

**Valeton (M.),** De Iliadis fontibus et compositione.

EX OFFICINA ET TYPOGRAPHICA ET BIBLIOPOLIO QUAE ANTEHAC E. J. BRILLII FUERUNT.